194D45 FL

Columbia University
in the City of New York
Library

Special Fund
1900
Given [illegible]monsly

194D45 FL

Columbia University
in the City of New York
Library

Special Fund
1900
Given [illegible]monsly

ANTONI LE GRAND

APOLOGIA

PRO

Renato Des-Cartes

CONTRA

SAMUELEM PARKERUM, S.T.P.

Archidiaconum Cantuariensem,

INSTITUTA & ADORNATA.



LONDINI:

Typis *M. Clark*, Prostant au[illegible] vena[illegible]

Campanæ in Cœmeterio [illegible]

ANTONI LE GRAND

APOLOGIA

PRO

Renato Des-Cartes

CONTRA

SAMUELEM PARKERUM, S.T.P.
Archidiaconum Cantuariensem,

INSTITUTA S. ADORNATA.

LONDINI:
Typis M. Clark, Prostant autem venales ad Insigne
Campanæ in Cœmeterio D. Paul. 1675.

Nov. II. 1901. J. K. L.

Excellentissimo Domino

Principi GAVRIÆ

DOMINO MEO,

Legionis Equestris Belgo-Germanicæ Chiliarchæ Pro Rege Catholico in Flandria, &c.

Excellentissime PRINCEPS,

NIHIL certè magni hac in Apologia molior dum Præstantissimum hujusce seculi Philosophum defendendum aggredior, & Metaphysicum ejus

309694

JUN 16 1901 Harrassowitz 42

ejus Poſitiones, intemeratæ eſſe certitudinis aſſero. Nam cui ſanæ Mentis unquam in dubium venit, Supremum quoddam Numen exiſtere, & Hominis Animam ab ejus corporea mole diſtingui? Annon id Barbari, id Agreſtes agnoſcunt & profitentur? At, nihil aliud Carteſius *in prima ſua Philoſophia oſtendendum ſuſcipit, dum Rationibus à Dei Idea, & vario Mentis & Corporis conceptu, Mortales ad Summi Entis veneration*em *com-*

pellit,

pellit, atque Humanam percipiendi Facultatem à Materia discernendam esse demonstrat. Verùm, quoniam Vir Eruditissimus, & inter modernos Authores haud incelebris, ejus Rationum firmitatem concutere nititur, & Argumentorum, quibus ad id probandum utitur, momenta tantùm non aspernatur; mearum partium esse duxi, tanto pugili imbellem etiam me opponere, & Magistri mei Demonstrationes, ab omni infirmitatis suspicione

eximere

eximere ac tueri. Hinc Opusculum hoc, Illustrissime Princeps, celeberrimo nomini Tuo nuncupandum consultum existimavi, quatenus sub Auspiciis Tuis tutamen sortiatur, & Avitarum Virtutum splendore, ornamentum accipiat, & novum Decus nanciscatur. Nam licet Veritas ingenito lumine fulgeat, & apparatum dedignetur, quo se Mortalium animis insinuet; ea tamen est Gentis tuæ dignitas, ea Facinorum ejus gloria, ut sub tanto Patrocinio

trocinio prodire ambiat, & tam longè latéq; diffusis laudibus clarescere. Non hîc Animi tui dotes recensco, dixisse sat est, Excellentissimi Comitis Egmontani, *apud Serenissimum Magnæ Britanniæ Regem* Extraordinarii Legati *nunc* Proregis Sardiniæ constituti, *Te Filium esse, & bonorum juxtà ac Virtutum ejus Hæredem.*

Ros unus, color unus, & unum mane duorum Sideris & Floris.

TANTI

TANTI *Viri tum domi, tum militiæ heroica facta meminisse animus non est, illa diffusiori calamo resumere alias statui. Accipe interim,* Illustrissime PRINCEPS, *hanc pro Cartesio defensionem, in æternum Amoris pignus, & in clarum devincti Animi Indicem; quippe nihil mihi magis cordi est, quàm palam haberi*

Excellentiæ Tuæ

Devotissimus Cultor

Le Grand.

PRÆFATIO

AD

ATHEOS.

I. SÆpe mecum dubius hæsi, quid vos Athei, ad DEUM è Mundo abdicandum, adegerit, quo fato impulsi, ut quem cæteri mortalium venerantur, non vilem modo habeatis, sed tanquam inutile Naturæ onus è rerum universitate amoliamini. An id seriò, an placida mente, an adhibita in consilium Ratione id aggressi estis? Haud equidem credo, qui ejus sum sententiæ, ut quis facilius Æsopi Fabulis assentiatur, existimetque Gallum quondam cum Asino sermonem habuisse, quàm amplissimam hanc Mundi Fabricam, vi propria ortam esse, & citra moderatorem stare ac conservari. Nam quid in tanta Rerum existentium multitudine observari potest, quod DEI Majestatem ac munificentiam non arguat? Quæ ex eis adeò abjecta, ut Animos non exsuscitet, atque in Creatoris notitiam cognitionemque non deducat?

Quippe licet Deus inconſpicuus ſit, nullaque viſibili ſpecie attingi queat, ex Rebus tamen productis, quemadmodum teſtatur Paulus, necnon ex mundo tam mirifice condito perſpici poteſt, & abſque peregrina inſtructione intelligi.

II. Sicut enim Rerum tranſactarum memoria, inventionis ſubtilitate, omnique virtutis decore Mentis efficaciam agnoſcimus, quamvis ipſa Corporis oculos effugiat: Sic Deum, Æternamque illam mentem, ex ejus operibus intelligimus, audacterque pronuntiamus, omnia Creata ejus benignitate ſubſiſtere, atque ab interitu vindicari.

Superos quid quærimus ultra?
Juppiter eſt quodcumque vides, quocumque moveris.

Unde hæc ſedulò apud me diſcutiens, intentaque mente agitans, citius faterer nullum prorſus extare Numen, omniaque incerto caſu volvi, quam tales reperiri Homines, qui Deum non eſſe aſſerant, aut eum confiteri detrectent.

III. Hinc eos deſipere, mentiſque penitus expertes cenſeo, qui Dominum ac Rectorem è medio tollunt, & latum hoc mundi imperium præſtantiſſima mente orbant, ac fruſtrantur. Enimverò quo alio, quàm amentiæ & deliriti titulo, illos inſignies, qui ut voluptati liberiùs vacent, ſenſuumque deliciis, ſereno magis animo demulceantur, Univerſo Præſidem deeſſe

ſibi

ſibi perſuadent, ſubſannantque quemcunque memineris, inſulſæ cogitationis vindicem? Sic dum bruteſcunt Corpora, Animaliumque conditionem ſortiuntur, Mens tenebris obvoluta, quodammodo torpeſcit, & ingenitæ Rationis vim ac efficaciam amittit. Quippe veluti humi ſerpentes, nihil ſublime contemplantur, iis ſolummodo addicti, quæ cuticulæ blandiuntur, aut paſcendis ſenſibus inſerviunt & adminiculantur.

Aliud Atheorum genus eſt, qui ſuæ ſortis magnitudine elati, ſeipſos ut numina ſuſpiciunt, amore ſui capti & cætera quæque ſpernentes. Quod ſi innatæ Arrogantiæ Fortuna acceſſerit, atque Rerum, quas meditantur, ſucceſſui ſuffragetur, protinus in furorem prolabuntur, & ſibi ipſis ſufficere autumantes, illum deſpiciunt, quem alii efferunt Naturæ Moderatorem. Unde mirum non eſt, ſi tanti vires ſuas æſtiment, ac ſua conſilia inter reconditioris politiæ arcana reponant; quia cùm omnia illis ex animi ſententia contingant, ſui admiratione, in inſaniæ morbum incidunt, & ab inſita ratione prorſus delabuntur. IV.

Quoſdam videre licet, quorum cerebella tam contumax vapor ex atra bile labefactat, ut nullo penitus futuræ Beatitudinis ſenſu tangantur. Obſtat enim Hypochondria, ne ſummi boni fulgorem aſpiciant, & mentis aciem, ultra eam, qua circumdantur, caliginem porrigant. Hinc erga genus humanum malevoli, ei perniciem optant, cui ſe odio eſſe experiuntur; V.

untur : & quemadmodum miſeri calamitatem ſuam ſociorum turba ſolantur ; Ita ipſi ereptam omnibus fælicitatis ſpem cupiunt, quatenus ſi ipſis pereundum eſt, communi clade ſimul extinguantur. Cùmque ſupremi illius Boni ſuavitate, qua alii tantopere deliniuntur, præ animi moleſtia frui non poſſint, illud ut quid inane ac fictitium derident, & quod percipere nequeunt, abjectum & nullius ponderis reddere moliuntur.

VI. Nonnulli Medicorum hoc quoque morbo corripiuntur, qui dum Hominum ſaluti invigilant, totique eorum conſervationi incumbere gloriantur, nimiùm avida Corporum inſpectione, virus in animum adſciſcunt, & Artis ſuæ contagionem contrahunt ; quippe Cadaveribus diſſecandis intenti, cùm quisquam in humanis viſceribus non obſervent, quod in Animalibus non deprehendatur, par in omnibus Temperamentum eſſe ſtatuunt, ac ſimile Vitæ, ac Actionum omnium principium. Quippe congeneres vident in omnibus corporibus nervos & arterias, atque à ſimilibus fontibus profectas. Vident humores tum à cerebro, tum à ſanguine ad varia fermentationis ſeminaria devehi. Vident Sanguinem à Cordis compage circuitum ſuum ordiri, totoque vitæ decurſu, eodem prorſus ritu, in omnibus conſervari. Vident pares in cerebro ſpirituum ſeries efformari, & varias ſedes occupando, munia ſua obire. Vident eoidem mirabili divaricatione, in ſingulas Corporis regiones excurrere, & affines ubique motus cauſari. Vident Bruta

Animantia, quæ Ratione deſtitui pro certo habent, charitate proles ſuas proſequi, & ſuæ quodammodò familiæ proſpicere. Si igitur quæ ab Animantibus peragi cernunt, multiplici partium commixtioni tribuantur, quidni & Mundi Fabrica in Elementorum conſenſum refundatur, & abſque Rei Incoporeæ imperio ſubſiſtat, ſed ratis ingenitiſque motibus gubernetur.

VII. Alii ſunt, qui vix Rationis participes, Religionem humanæ Authoritati ſubjiciunt, voluntque nihil inter Homines ſacrum reperiri, quod ab eorum beneplacito & poteſtate non pendeat. Sic quidam noſtri temporis ſcriptor, aſſerere non erubeſcit, Apoſtolos, qui Verbi Incarnati Interpretes ſunt, canones, quibus Fideles adſtringerentur, condere haud potuiſſe, ni Civitatis, aut Reipublicæ conſenſus accederet: Ac proinde Scripturam, quam Sacram appellamus, non niſi apud eos pro Lege reputari, qui priùs pro tali, civili poteſtate firmatam agnoſcunt: Leviathan, cap. 24. Et eodem Libro, cap. 38. aperte docet nequaquam fieri poſſe, ut Reſpublica diu ſe tueatur, authoritatemque illibatam ſervet, apud quam majoris pœnæ ac præmii mentio habetur, quàm quæ Magiſtratus irrogare queat, quæ hujus vitæ fruitio, ac ejuſdem jactura exiſtimatur: Ac idcirco concludit, quòd cùm æternæ vitæ, ac mortis æternæ jus, prioribus ſupergrediatur, nec illud in civili poteſtate ſitum ſit, citra rationem quoſdam ſibi perſuadere, poſſe unquam perenni ſupplicio affici, aut ſempiterna

mercede remunerari. Hinc ſecundum illum Authorem, cum Religio nihil authoritati Divinæ debeat, & ab hominibus dumtaxat obligandi vim mutuetur, quid ſupereſt, quam ut nullus Deus eſſe ſtatuatur, & quam de illo habemus Opinio, à Sapientibus Reipublicæ cauſa, ficta eſſe ſupponatur.

VIII. Hi ſunt præcipui Reipublicæ veſtræ Cives, ô Athei, hi Heroes, quibus Deum è Cœlo deturbare nitemini, hi nobilis ſectæ veſtræ fautores ac Antefignani. At quales, pueris certè imbecilliores, & qui non minùs animi ſenſu, quam Ratione Ruſticis & Agreſtibus cedunt. Nam ſi vos interrogare fas eſt, quorſum numinis Majeſtatem tollitis, cur vanum ducitis, quod tota penè gens mortalium colit ac veneratur? Quoniam, inquitis, ille, quem nobis narras, Deus, inconſpicuus eſt, & à mente quantumvis acuta & ſingulari diſtinctè concipi nequit. An non magis Rationi conſentaneum eſt, ut ea dumtaxat exiſtere credamus, quæ ſenſibus obvia ſunt, quàm ad iis aſſentiendum arripiamur, quæ nos fugiunt, & nunquam in conſpectum noſtrum venere?

IX. Dignum tantis viris reſponſum! Non quicquam igitur in Natura ſubſiſtere arbitramini, quod oculis non patet? At ſi Epicuri Diſcipuli eſtis, qui Mundi ortum vagis & hinc inde gyrantibus Atomis acceptum refert, admittere quædam vos oportet, quæ ſub ſenſus non cadunt, nulliuſque obtutui objiciuntur. An aliquis veſtrum Atomos unquam contempla-

tus

tus eſt? Eas invisibiles eſſe Lucretius afferit, & omni prorſus colore deſtitutas. Quis varios earum motus, quorum ope, Mundi compages coaluit, aſpexit? Quis inane, quis immane illud ultra Cœlos ſpatium, in quo tenuia hæc Corpuſcula reconduntur, oculis luſtravit? Aut ſi fortean Mundum infectum eſſe cum Ariſtotele opinamini, quis veſtrum ejus Æternitatem deprehendit? Quis illa, quæ vos præceſſere tempora, intuitus eſt? Quis eorum omnium oculatus teſtis eſt, quibus, ipſi alios fidem habere vultis? An creditu difficilius eſſe putatis Deum eſſe Rerum omnium conditorem, quàm quòd ingens hæc Mundi machina ab æterno fuerit, & omni Authore deſtituta? Si immotum apud vos ſtat, nihil pro certo habere, quòd non fuerit obtutui veſtro expoſitum, certè quantumvis Mundus iteratis vicibus producatur, nemo factum eſſe fatebitur, qui ejus conſtructionem non ſpectavent. Verum, quis ille eſt, qui id teſtabitur?

Cæterùm an id, quod cum tanta aſſeveratione proponitis, perſpectum ſit, attendendum eſt, nempe quenquam de re certum eſſe non poſſe quam præſens non contemplatus eſt: Vel verumne ſit, quòd quæ ſenſibus non decernuntur, pari dubitatione laborent. Et ſanè plurima à nobis pro exploratis recipi quæ nunquam oculis expoſita ſunt, adeò manifeſtum eſt, ut nihil in Scientiis, ac in ipſo Vitæ uſu notius eſſe videatur. Quot enim propoſitiones, quas ſola mente volvimus, & quæ viſui nunquam objectæ ſunt, certiſſimas eſſe experimur? X.

rimur? Quis in Geometria tantillùm versatus, non exploratum habet, Triangulum Figuram esse tribus rectis lineis constantem, quamvis talem Figuram nullis sensibus attigerit? Nàm nequidem ulla Lineæ pars, quæ reverà recta esset, visum nostrum movit, cùm illas, quæ maximè rectæ apparent, perspicillo pulicario attentius consideramus, planè irregulares, & undularum adinstar ubique incurvas deprehendimus. Quis ambigit quin Lutetia Parisiorum reverà in Gallia sit, Roma in Italia, Londinum in Anglia, etiamsi tales Civitates nunquàm præsens spectaverit? Certè qui talem Famam improbaret, fluxæque fidei ejus Authores arbitraretur, necessum est, vel ut menti suæ vim inferat, aut quî in judicando regenda sit, ignorare profiteatur. Quippe Ratio, ob quam credibilibus testimoniis assentitur, atque Moralem certitudinem nanciscitur, ex eo ortum habet, quòd alios secundùm ea, quæ in se percipit, metiatur, statuatque fieri haud posse, ut tot tantorumque Hominum assertiones & testimonia falsa sint, & veritati publicæ adversentur. Rationis enim munus est, de Rebus quibusvis decernere, ac non minùs de iis, quæ Sensus fugiunt, quàm quæ sub illos cadunt, ferre judicium.

XI. Sed quid iis tamdiu immoror? Ab ignaris, à Rusticis ipsis eruditionem haurite. Si enim eorum quemquam interroges, quam ob causam, ejus Corporis membra modis variis cieantur; quorsum ad ejus nutum, præsto sunt manus; cur versus diversas regiones Oculi dirigantur?

tur? Haud mora reponet, quoddam in ſe ipſo horum motuum eſſe principium. Si quodnam illud ſit? ſcire cupio. Voluntatem aſſignavit, cujus imperio, omnia Corporis ſui membra ad Motum aut Quietem adiguntur? Si mox urgeas, an unquam voluntatem ſuam viſu deprehenderit; cujus ſit figuræ, quo colore imbuatur? Ultrò fatebitur, illi quidem deſiderium eam facultatem cognoſcendi ineſſe, at illam nunquam oculis ſpectaſſe, ac proinde penitus ignorare, quo colore, quave figura inſtructa ſit. Si reſpondentem premas denuoque inſtes, an quandam in ſe vim gubernatricem admittat, licet nullam ſuis ſenſibus ſpeciem impreſſerit? Illicò annuet agnoſcet, que non omnia, quæ exiſtere experimur, Senſibus metienda eſſe, ſed quædam à nobis intelligi, quæ nullis lineamentis, aût membrorum figuris exhiberi queunt. XIIX.

Quidni idem vos ſentiatis, Athei? Quidni quoddam etiam in vobis latere principium fateamini, à quo operationes veſtræ manant & proficiſcuntur? An illas unquam aſpexiſtis? Nemo inter vos adeò ſtolidus eſt, ut reor, qui id jactitet. At quid in Natura magis perſpicuum, quàm quòd cogitetis, ſive aliquas operationes eliciatis, quarum eſtis conſcii? Id enim adeò evidens eſt, ac per ſe notum, ut qui illud in dubitationem adduceret, de nulla Re prorſus certus eſſe poſſet. Gratis igitur Dei Numen eſſe inficiamini, quoniam ejus ſpecies non cernitur, aut quia nullibi gentium ſit obvia, quandoquidem præcipua veſtri pars, quæ inviſibilis eſt, certò vobis innoteſcit, nec de illius exiſtentia ambigere vobis fas eſt. XII.

Non

XIII. Non obeſt, quòd non niſi Corpora in Mundo videantur, & quæ nobis obverſantur, rerum materialium ſint Imagines: Nam quis adeò amentia valet, ut Pictoris officinam ingreſſus, in qua præter penicillos, pigmenta, ac ſimulachra deprehendit, exiſtimaret hæc à ſeipſis eſſe orta, aut collatis viribus, ſe invicem produxiſſe, quoniam Artifex illic non apparet, qui penicillos confecit, pigmenta elaboravit, & picturas ad vivum expreſſit! An non immenſa Mundi magnitudo, accuratus ejus partium ordo, grata Rerum varietas, concinna omnium ſtructura, Opificem arguit, quamvis abſconditus ſit, & nunquam in mortalium conſpectum venerit? Nemo enim tam inſigne opus poſſe ſine Artifice fieri opinabitur, niſi qui deſipit, & qui in delirium, aut furorem redactus eſt.

XIV. Fateor equidem, Homines ubi in Cauſas ſecundas divulsè poſitas, animum intenderint, poſſe in earum contemplatione conſiſtere, & ulterius gradum non moliri: At ubi ad earum nexum attenderint, animadverterintque ſibi ipſis implicari, atque ad eundem finem conſpirare, non poſſunt non earum Authorem agnoſcere, & primum earum principium demiſſo animo venerari. Nam quis credat Siderum Orbes, qui undique capitibus noſtris imminent, ſine Opificis conſilio circa ſe circumvolvi? An ſolo Fortunæ ductu factum eſſe exiſtimatis, ut Sol ab Ortu in Occaſum, aut Terra axi ſuæ innixa ab Occaſu in Ortum, viginti quatuor horarum ſpatio indeſinenter devehatur?

vehatur? Cur circulo Æquatori parallelo, idque tanta conſtantia ac ſtabilitate, ut tot Annorum millibus, nequidem uno momento aut celeriùs aut tardiùs proceſſerint? Unde Planetæ ſitum tam commodum nacti ſunt, ut vicinis orbibus profint, nulli autem ſint incommodo? Annon tam idonea Aeris temperatio, tam imperturbata Diei & Noctis viciſſitudo, quadripartita Anni varietas, mutua Elementorum neceſſitudo, denique tam excellens & inimitabile Naturæ artificium Mundi Architectum ſpectandum nobis proponunt, & ejus Majeſtatem, decus, amplitudinem, ſplendorem, magnificentiam loquuntur, annuntiant, extollunt? Hinc David Dei operum Admirator unicus; omnia ut par eſt, Opifici aſſerit, ſolidiſque encomiis proſequitur, dum ait Pſal. ciii. Quam magnifica ſunt opera tua, Domine! omnia ſapienter feciſti; impleta eſt Terra poſſeſſione rerum tuarum.

XV. Scio vos univerſi æternitatem tueri, & omnia, quæ miramur, in naturæ vim, aut inſitam cujuſque Rei indolem referre: at ubi ad id probandum compellemini, Deus bone, quàm futilia, quàm abſurda ad Ingenii oſtentationem profertis! Gerronum, qui in principum aulis verſantur, prorſus æmuli, quibus ſi ludicra quæſtio proponatur, imprimis inſulſi aliquid ingerunt, & à communi Hominum captu abhorrens: ſi urgeantur, difficultatiſque nodus nova difficultate conſtringatur, ſe pluribus modis irretiunt, & quæ antehàc levi negotio ſolvi poterant, aliis accedentibus involucris

volucris implicant, adeò ut, in quæ effugere moliebantur, abſurda, incidant, & laqueis, quos vitare ſatagebant, corripiantur. Hæc ſors veſtra, Athei, hæc prætextæ ſubtilitatis veſtræ fortuna; quippe ſi quis à vobis, ſciſcitetur, quî factum, ut mundus tam affabrè conditus ſit, & quî omnes illius partes in tam concinnum ordinem redactæ ſint, ſi illius opifex abeſt? Nihil niſi Corpora vos intueri dicitis: at ſi quis inſtet, an Corpora tam ordinatam ſeriem componere poſſe exiſtimetis? Quoniam ad Agens incorporeum recurrere pudet, ipſis vim ſe movendi tribuitis; quæ certè ſi mente carent, nihil regulare, nihil decorum præſtare valent; & ſi mente donentur, ô miſeram naturæ veſtræ conditionem, qui parem habetis ſtipitem, & Res etiam viliſſimas nulla prorſus dignitate ſuperatis.

XVI. Neque me latet, quid ad hæc reponitis, nempe numen, quod vobis annuntiamus, incomprehenſibile eſſe, ac ita Rebus cæteris ſupergredi, ut ſua Infinitate, non minùs mentis quàm Corporis oculos, declinet. Admonet autem Ratio, ut non modò de ignotis judicemus, verùm etiam ne quicquam admittamus, quod non evidenter ac diſtincte nobis objicitur. At quomodò id nobis perſpectum erit, quod captum noſtrum ſuperat, & mente complecti non valemus? Duo hoc Argumento ingeritis, primum, quod incomprehenſibile eſt, nullatenus ab Intellectu attingi poſſe. Alterum, quod ab Intellectu attingi non poteſt, nihil eſſe, ſive non exiſtere. Etſi haud

ægrè,

ægrè posterius concedant Philosophi, fateanturque illud à nobis inter fictitia posse numerari, cujus nulla Idea, seu conceptio occurrit: quia cùm Res nostri intuitu veræ aut falsæ sint, in quantùm tales à nobis apprehenduntur, seu cogitantur, & non nisi cognosci dicuntur, cùm sui Ideam, seu notionem exhibent, id sano sensu pro non ente reputandum est, quod intelligi nequit.

XVII. Non pari ritu de Priori differendum est, ut scilicet quod comprehendere non valemus, illud quoque ab Intellectu attingi non queat; ac proinde quando Deum Incomprehensibilem esse philosophi admittunt, sic accipiendi sunt, quòd ea sit humanæ Mentis imbecillitas, ut perfectam Rei Infinitæ notitiam sortiri non possit, sive talem de illa habere conceptum, qui illi correspondeat, ac commensuretur. Nam aliud est, adæquatam substantiæ Infinitæ Ideam habere, & aliud eam clarè percipere. Perspicua quidem & distincta Rei summè perfectæ notio, in nobis est, non autem integra & comprehensiva. Enimverò quis talem Sui ipsius cognitionem habet? Quis entis etiam Finiti essentiam omnimodè callet? An Corporum, in quorum contemplatione tantopere versamini, naturam perfectè intelligitis? Quamvis igitur Deum omni ex parte, ut ita dicam, non capiamus, & ejus perfectionum Infinitatem exhaurire impares sumus, nihil tamen obstat, quominus Rei absolutè perfectæ Ideam habeamus, modulo nostro conformem. Quia quod Deum non comprehendamus, non ex

Ideæ

Ideæ defectu, ſed ex mentis noſtræ anguſtiis oritur, qua utpote finita, quod undequaque Infinitum eſt, complecti non poteſt.

XVIII. Id adeò manifeſtum eſt, ut totum genus humanum hanc opinionem conſenſu communi tueatur. Qui enim ſummi, qui medii, qui infimi, hanc Numinis notionem non habuere? Antecedentia tempora repetite, in quorum Annalibus extare comperietis ullam gentem Divinitatis ſenſu unquam caruiſſe? Quibus veterum litteris proditum eſt, Atheiſmum in Regno, in Provincia, in Urbe, in Oppido publicè viguiſſe, & abolitam ibi penitus fuiſſe Numinis memoriam? Conſtat enim quòd nulla unquam fuerit Natio, quæ Deum aliquem non venerata ſit, imo nulla adeo immanitate efferata jactatur, quæ non aliquem Enti Supremo honorem non præſtiterit. Ab hoc fonte, quæ unquam in univerſo irrepit Idololatria originem habuit: Nam licet in numinibus eligendis Homines aberrarent, & debitum Deo vero honorem, in falſos Deus transferrent, hoc tamen ingenito principio innitebantur, ſupremum aliquod haberi Numen, cui honor exhibendus eſt, & Mortalium vota dirigenda. Nam unde profectum eſſe arbitramini, quòd nonnulli Solem aut Lunam colerent? Alii ignoto Deo aras ſtruerent? Imo quidam eo dementiæ laberentur, ut Bovem, Vitulum, Crocodilum, aliaſque ignobiles Creaturas, & vice Dei ducerent, & Religione proſequerentur? Quemadmodum teſtatur Juvenalis, Satyr. 15.

Quis

Quis neſcit, Voluſi Bithynice, qualia demens.

Ægyptus portenta colat? Crocodilon adorat.

Pars hæc, illa pavet ſaturam ſerpentibus Ibin.

Niſi quia Entis ſupremi notione mens inſtructa eſt, ultro ad ſe ei ſubjiciendum ferebatur, quod ante, & ſupra ſe eſſe exiſtimabat. Ratum haberi debet, quod omnium gentium conſenſione firmatur, nec abſque temeritate anceps redditur, quod Homines in omni loco, & tempore probant & tuentur.

Nihil moror quòd vos è talium numero eximatis, ac Numen in natura Rerum eſſe inficiando, univerſalem Hominum conſenſum abnuatis. Nam qui eſtis vos, qui tam firmæ ac ſtabili veritati vim inferatis? Siccine paucorum ſuffragiis communis opinio infirmatur? Quid, Deus non eſt, quia Leucippus, Democritus, Epicurus, & ſimiles impietatis aſſeclæ id aſſerunt? Quis dicet Humanum génus Rationis particeps non eſſe, quoniam nonnulli mentis inopes inveniuntur, & à Ratione averſi? An quia quoſdam orbos in lucem edi videmus, idcirco cernendi Facultas non Homini propria eſt, nec omni convenit? Nemo, opinor, propoſitiones, quæ omnibus eruditis perſpicuæ ſunt in dubium vocabit, quoniam pauci aliter ſentiunt, & earum claritatem non aſſe- XIX.

aſſequuntur. Aliàs in cujuſpiam poteſtate eſſet, fidem Veritati Morali, aut Theologicæ denegare, quoties eam capere non poſſet, aut intelligere dedignaretur. Rei enim amplitudo, ſeu Univerſalitas, non in cujuſvis particularis Hominis aſſenſu poſita eſt, ſed in analogia, quam cum communi Ratione habet, à qua velut à principio, Hominum cœtus & regitur & conſervatur. Quicquid Rationi conſentit, id verum eſt, & quod verum eſt, univerſaliter verum eſt. Sint forte, qui annuere detrectent in Triangulo duo eſſe latera reliquo majora: aut duos Angulos æquales eſſe, qui ab æqualibus lateribus ſubtenduntur; nunquam tamen efficient, ut duæ hæ propoſitiones, veræ non ſint, & ab omnibus Geometris probatibus non agnoſcantur. Sic quantumcumque Numini adverſemini, O Athei, ejuſque imperium reſpuetis, nunquam tamen obtinebitis, ut Mortales omnes, in Supremi Entis notitia conſentire non dicantur. De Hominibus, inquit Tullius, nulla gens eſt tam immanſueta, neque tam ferrea, quæ non, etiamſi ignoret, qualem Deum habere deceat, tamen habendum ſciat.

XIX.

XX. Omnium ſiquidem Animis inſculpta eſt Dei Imago, ſeu ſupremi Entis inſtinctus, cui Barbari, cui peregrinæ Gentes auſcultant, & obſequuntur. Quaſcumque enim inviſeritis, nullas numinis ſuſpicione carere uſquam reperietis. Novi quidem Orbis detecti ſunt Incolæ, qui pudore abjecto, omnino nudi vitam degunt. Alii extra leges moreſque projecti, ita ab humanitate abhorrent, ut nihil præter vultum hominis

hominis præferre videantur; Verùm, nullos adhùc deprehendit Navigantium curiositas, qui Deum non agnoscerent, ac eum quodam cultu non prosequerentur. Enimverò Deus Animis nostris sui characterem impressit, dum nos ad suam Imaginem creavit, suæque naturæ similitudinem impertitus est. Quæ adeò firmiter Animæ nostræ inhæret, intimeque connectitur, ut nulla immanitate, nulla ferocia, nulla libidine ab ea avelli queat. Hinc Homines in periculo constituti, sponte, soloque Naturæ impetu oculos in Cœlum dirigunt, palmas efferunt, repetitisque vocibus, ejus opem implorant, quem Rerum suarum præsidem esse intelligunt.

XXI. Omnibus enim mortalibus à natura insitum est, dum metu turbantur, aut in calamitate jacent, ad Supremum Ens, quod ipsis imminere autumant, confugere, sub cujus umbraculo tutos se esse arbitrantur, ac confidunt. Annon id vobis aliquando contigit Athei? Hac saltem in re rectæ mentis estote. Nonne Dei cogitatio Animum vestrum quandoque subiit, ubi fortè vos aut circumstitit periculum, aut malum impendit? Fingite adesse Mortis præludia, & in extremo positam esse vitam, quis pavor tunc Vos non corripit, qua formidine non concutimini, dum veluti somno soluti, in propinquo ultorem esse cernitis, quem tam sœpe ludibrio habuistis, & perfricta fronte estis aspernati? At si quicquam vestrûm sepulchro non supereſt, si Deus universo extorris est, vanus profecto foret ille timor, & cui facilè

Homines mederentur, modò tales ſe præſtent quales haberi cupiunt; verùm, cùm ſcelerati omnes imminentis Judicis aſpectu terreantur criminumque pœnas, priuſquam patiantur, præſentiant; id aliunde oriri non poteſt, quam quia omnibus Mortalibus innata Dei notio eſt, & ita Humanæ naturæ infixa, ut ea vix quiſquam careat.

XXII. Quidam ex veſtris, hunc Numinis inſtinctum, non in Naturam, ſed in Ambitioſorum Hominum aſtutiam refundunt, qui ut in alios imperium obtinerent, dominationique ſuæ magis obnoxios redderent, eos primùm Dei metu terruere, perſuaſeréque adfuturum aliquando Judicem, qui cujuſque cauſam agnoſcat, nullumque ſcelus inultum patiatur. Hinc Religio tanquam Imperii arcanum apud Imperitos invaluit, qua nimirum magis tractabiles redderentur, & ſervitutis jugum æquiori animo ſubirent.

XXIII. At quid ſi illud precariò aſſerant, & quod in ſuæ Opinionis firmitatem finxere, politicorum utilitati adverſetur. Nam ſi à Sapientibus efficta eſt de ſummo numine Opinio, ſi Reipublicæ cauſa inventa eſt Religio, ut Homines ad officium duceret; aperiant quo tempore fraus illa emicuit, quo artificio in vulgus primùm inducta eſt, qui illius Authores, & qui illam cæteris prodiderunt. Nam quî contingere poteſt, ut qui omnia hæc detexere, non ſe ipſos priùs, mox cæteros Impoſturæ admonerent? Quis credat dolum in omnes mortales, ipſis

ipſis inſciis, poſſe irrepere, qui tamen ipſis adeò exitioſus ſit, ut vitæ tranquillitatem adimat, & voluptatis, cujus ita avidi ſunt, curſum turbet & interrumpat. An fieri poſſe putatis, ut Homines adeo ſui negligentes unquam evaſerint, aut Rerum, quæ ad ipſos ſpectant, ita memores, ut ſe fraude irretitos eſſe nunquam intelligerent, nec de illius origine, aut progreſſu inquirerent! Sed mente tranquilla, citraque examen ſibi imponi paterentur? Damus id paucis, iiſque rudibus & ſtolidis poſſe nonnunquam contingere; at nemo ſibi facilè perſuadebit Sapientes, Philoſophos, Theologos, alioſque Doctrina inſignes Viros poſſe hoc pacto illudi, ut Magiſtratuum verſutiam non olfaciant, ſed utroque brachio id amplectantur, quod fictitium eſſe exiſtimant, & nullo ſenſu, aut ratione ſuffultum. Imo quo admiſſo, ſuæ libertati impetus ſit, & inquietudo terrorque Animis incutitur.

Hoc enim præſtigiarum ac impoſturæ fatum XXIV.
eſt, ut ubi ſemel in lucem eruperint, continuò evaneſcant, & vim quam antehac apud Homines obtinuerant, nunquam deinceps ſortiantur. At quoties vos, duobus abhinc annorum millibus, hanc cantilenam ceciniſtis, numen à mundo abeſſe, ejus cultum non niſi Magiſtratuum eſſe fucum, quo ſecurius in plebem dominentur, & nihilominus oppoſita inter Homines Opinio ſemper viget, & non minus apud Barbaros, quam alios intemerata manet & inconcuſſa. Quod præſtantius Argumentum adferri poteſt, ad oſtendendum Dei Opinionem fictiam

tiam non eſſe, ſed omnium Animis impreſſam, quàm quod omnium gentium judiciis approbetur, nec ulla Arte adhibita dediſci queat?

XXV. Id evidentius in Chriſtiana Religione eluceſcet, quæ non humano aſtu, non regnandi cupidine, non promovendis hujus vitæ commodis in Mundo enata eſt; & tamen ſeu propria, ſeu mutuata è Cœlo virtute, Dominantium poteſtati prævaluit, & Paganis ac Infidelibus devictis, Victrix evaſit, magnamque orbis partem Imperio ſuo ſubjecit. At quibus mediis? An armata manu præliando? An principum copias fugando? Imo morti occumbendo, & hoc ſolo telo inſtructa, Deum integro affectu eſſe colendum, & ei potius, quàm Hominibus, quantumvis potentibus obtemperandum. Id aliquando futurum Regius Propheta vaticinatus eſt, Pſalmo ſecundo, 'Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania? Aſtiterunt Reges Terræ, & principes convenerunt in unum, adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus. Qui habitat in Cœlis, irridebit eos, & Dominus ſubſannabit eos. Tunc loquetur eis in ira ſua, & in furore ſuo conturbabit eos. Ego autem conſtitui eum Regem ſuper Sion montem ſanctum ejus: Dabo Tibi Gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos Terræ. Et nunc Reges intelligite; erudimini qui judicatis Terram.

XXVI. Quicumque unquam extitêre Mortales, hujus ſemper fuere ſententiæ, ſupremum Numen, Ens

Ens esse Æternum, Infinitum, Omniscium, Omnipotens, rerumque omnium, quæ præter ipsum sunt, Opifex. Verùm, si tale Ens non existit, Deique Idea à fingente Intellectu, omnino dependet; quî factum est, ut totum genus Humanum, paucis exceptis Atheis, rei assentiatur, inani, & ex animi libidine effictæ? Imo quomodo contigit, ut hujusmodi notio, omnibus Hominibus unquam occurreret, aut ab illis efformaretur? An sat dicere putatis à Legislatoribus ortam esse, quorum instinctu, Deus in Mundo primùm innotuit? Vel quòd hujus opinionis Authores, faventibus initio principibus, eam in vulgus sparserit, & ad cæteros mortalium, succedentibus annis demum traduxerint? Certè nemo sententiæ vestræ suffragabitur, nisi cum ignorantiæ infamia. Nam quis nescit nisi in Philosophia hospes, rerum Ideas non vocibus & verbis mentem subire, quæ nihil aliud, quàm Sonos, atque eorum Phantasmata nobis exhibent. Occasionem quidem Animæ præbent hujusmodi notiones eliciendi, sed nihil prorsus continent, quod ad res ipsas referri queant, nisi in quantum verba, communi Hominum consensu instituta sunt, quatenus conceptus nostros, seu Ideas significarent. Quare si vocum significata, per Ideas nobis repræsententur, necessum est, ut illæ à nostra cogitandi facultate procedant, ac proinde mentibus nostris à natura impressæ sint & insculptæ.

Nam quamcumque menti nostræ potestatem assignemus, constat illam imparem esse XXVII.

novas Ideas effingendi, seu producendi, quæ prius non fuerint; sed eas duntaxat componendi, atque Res ipsas, quarum sunt Imagines, variis modis inter se connectendi. Neque certe eam vim obtinet, ut non ens positiva aliqua notione apprehendat, sive Ens assequatur, in cujus conceptu, neque actualis, neque possibilis existentia continetur. Quo pacto igitur Rei Immensæ, Æternæ, summe potentis, Infinitæ Ideam ex nihilo, creare poterit? At id efficeret, si Deus non sit, sed tantùm fingitur, & Sapientum quorumdam vafritie, in Hominum Animos irrepit.

XXVIII. Nihil autem magis sententiam vestram labefactat, Athei, quàm in sceleratis conscientiæ stimulus, & inquieta anteactæ vitæ memoria. Nam si numen Mundo exulat, & non nisi Regnantium astu & industria, in mortalium animis viget; quorsum Impius mentis angore & cruciatu afficitur, ubi patrati facinoris recordationem Conscientia objicit? Cur tam acerbo metu concutitur? Cur in diffidentiam ac desperationem sæpius prorui? E diverso justi mentis securæ testimoniis fulti, nihil metuunt, aut exhorrescunt, quantumvis calamitatibus, penuria, tyrannorum sævitia dejiciantur, aut labascant? Unde tanta in his mentis tranquillitas, in illis verò animi tristitia & dejectio, si Judex non sit, qui virtutem præmio afficiat, & iniquitatem ulciscatur? Quis sibi persuadebit, posse Homines invisibilis, nescio, cujus non-entis timore percelli? Unde tanta Animi carnificina? cur veluti Furiis agitati

contre-

contremiscunt, si nullum Numen eorum actionibus præsidet, & eis fas est omnia pro libitu exequi? Credite mihi, cuique Homini non modò Rerum delectus ingenitus est, sed judicium, boni malique discrimen, quo unusquisque ad honesta fertur, & aversatur prava. Quantumcumque atrocia insonti impingantur, is constantiam tuetur, semperque in proposito perseverat: Qui verò aliquo crimine contaminatur, aut labem in mente conceperit, pœnam ante oculos continenter versari imaginatur, sic ut in deliciis, in tripudiis, in conjugis amplexu, animi morsus sentiat, & factorum pœnitentia ducatur.

Si verò mentibus humanis impressa non est Dei notitia, qui fit, ut aliquo Boni aut Mali sensu tangantur, & discrimen inter utrumque constituant? Quòd enim Bonum à malo discrepet, id supremæ cujusdam potestatis intuitu habetur, qua sublata, Rerum delectum evanescere necessum est. Nam dato Homines sine lege vivere, nulloque Imperii fræno coerceri, quisque tunc sui juris factus, quod placet, rectum arbitratur, nihilque illicitum audiet, nisi quod præ imbecillitate ad metam perducere non valet. XXIX.

Boni itaque & Mali distinctio, sic à Deo veluti perfecta Recti regula pendet, ut neutrum humanis mentibus obvium fieret, nisi Bonum Supremum existeret, à quo probantur, & diversitatis suæ vocabula fortiuntur. Nam cùm honesti & turpis ratio, quæ Boni & Mali XXX.

naturam ſequitur, ad præmium & pœnam ordinem habeat, cúmque nemo ſui ipſius judex conſtituatur, neque ſuetum ſit, proprias virtutes mercede donare, aut vitia caſtigatione reprimere; nam quis factis ſuis præmia meritò perſolvit? Quis in ſe ipſum animadvertet, ſi nullis legibus coerceatur, & ſui ipſius teſtis & vindex? Nemo enim ſe reum aut fatetur, aut tacitè conſentit, qui priùs eminentem ſibi poteſtatem non agnoſcit. Quare neceſſum eſt, ut Summum Bonum in natura detur, ad quod relatæ Hominum actiones, bonæ aut malæ exiſtimentur. Deum Mundo ablegate, nihil reſtat, quod recti & obliqui Index ſit, nihil quod innoxios ab injuria tueatur, nihil quod à ſicariorum ſævitia ſecuros præſtet. Omnia perverſè aguntur, ubi quiſque Lex eſt, & omnem Dominationem reſpuit.

XXXI. Si propiora, & quæ intimiùs oculis admoventur, numinis indicia exigitis, mira, quæ nonnunquam in univerſo contingunt, animadvertite. Annon ea, quæ miracula paſſim vocamus, id arguunt? Annon quæ cauſis naturalibus ſupergrediuntur opera, Divinam poteſtatem teſtantur? Quis credat Hominem oculis ab origine captum, paucis verbis poſſe ad Rerum conſpectum adduci? Vivis exemptum, & quem ſpiritus penitus deſeruit, vitæ reſtitui; niſi Opifex ad ſit natura ſuperior, qui Rerum ordinem ac decurſum pro arbitratu invertat? Ad naturæ conditorem ſolummodò ſpectat, Cauſarum naturalium progreſſum ſiſtere, & prout illi viſum eſt, immutare. Quare ſi quid

contra

contra Naturæ ordinem patratum occurrat, meritò Numini acceptum refertur, à quo ſpeciali ritu profluit.

XXXII. At quid ſi nihil ſimile in univerſo unquam peractum ſit? Inquitis. Quid ſi quod miraculum nuncupas, luxuriantis Naturæ dumtaxat opus ſit, & Cauſarum occultarum productio? Cùm Rationis participes haberi velitis, Athei, quod ei conſentaneum eſt, opinor, non reſpuetis; nihil autem magis cum ratione quadrat, quàm Majorum noſtrorum monumentis fidem habere, & quod ipſi ſimpliciter, citraque commodi, aut utilitatis ſpem aſſerunt, pari affectu recipere. Alias ſi ſolos Senſus veritatis teſtes conſtituatis, nec quicquam verum arbitremini, quod Oculis non objiciatur, certè ad arctum Terræ angulum relegandi eſtis, & paucis limitibus cognitio veſtra coercenda. Omnibus recta Ratione utentibus ſemper placuit, id pro vero accipere, quod priori ætate proditum eſt, modò probos Authores nactum ſit, & omni exceptione majores, hoc eſt, ubi nulla fraus ſubit, & factum verisimilitudini non adverſatur. Nam tale quid inficiari, quid aliud foret, quàm Rationi Rationem opponere, illudque rejicere, ad quod credendum ſumma evidentia adigit. Nam quid Puerorum imbecillitati magis affine, quàm id Oculis intueri velle, quod jamdudum elapſum eſt ac evanuit? Quid riſu magis dignum, quàm prioris ævi facta in dubium vocare, quoniam per Demonſtrationem mathematicam non eluceſcunt? Rerum enim anteactarum

actarum notitia, credibilibus aliorum teſtimoniis comparatur, quæ ſæpius talia ſunt, ut ex ipſis rerum ipſarum monumentis firmitatem mutuentur.

XXXIV. Enimverò nemo Rationis compos, unquam ambiget, quin Miracula à Chriſto patrata ſint, quandoquidem non illius modò Diſcipuli, & qui illius præceptis imbuti ſunt; verùm etiam pertinaciores ejus Hoſtes, id teſtentur, id probent. Pilatus, referente Tertulliano, prodigia, quæ in Chriſti morte contigere, ad Tiberium Imperatorem tranſmiſit, quibus commoti Cæſares, ita in Chriſtum affecti ſunt, ut eum proprio inſtinctu fuiſſent venerati, ſi ſervata dignitate, Religionem Chriſtianam amplecti licuiſſet. Publius Lentulus ex Judæa Romam reverſus, publica oratione coram ſenatu, quæ ſpectaverat, retulit; Jeſum Chriſtum nempe plures Mortuos in vitam poſtliminio revocaſſe, atque omnia Morborum genera curaſſe. Imo Chriſtus ipſe Judæorum incredulitatem improbans, & de ſua Divinitate teſtimonium perhibens: Si opera, inquit, non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Sic ut de miraculorum veritate planè conſtet, nec niſi cum contumacia, poſſit de illis dubitari.

XXXV. At quî morborum inſultus propulſantur? Quî lethalis infirmitas evaneſcit? Quî vita defuncti priori lumini reſtituuntur, ſi nullum extat numen, quod naturæ emineat, & ejus poteſtatem ſuperet? Rem Nicodemus attigit, dum Chriſti virtutem admiratus, Scimus, ait, quia à Deo veniſti Magiſter, nemo enim poteſt hæc

ſigna

ſigna facere, quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo. Nam cùm miracula ad Cauſas naturales referri nequeant, earumque effluxum præterlabantur, quicquam Divini intervenire neceſſum eſt, ubi Naturæ vis infertur, & ordinati Rerum motus perturbantur.

Veſtræ ſortis miſereor, Athei, nec minùs vos phreneticos, quàm amentes eſſe cenſeo, ni Rerum omnium Opificem agnoſcatis, qui æquo jure virtutem remuneret, & ſcelus ulciſcatur. Nam quid monſtro ſimilius videtur, quàm quòd Iniquus in hoc mundo vitam impunè traducat, malitiæque ſuæ præmium ſortiatur; Juſtus autem penè omnibus vilis fiat, & vix aut nunquam innocentiæ ſuæ mercedem aſſequatur: Etenim ſi Deus non eſt, ubi perverſorum coercitio, aut ſupplicium? Ubi Bonorum retributio, & dignus laboribus fructus? Si verò Deus adeſt, qui jus dicat, & cuique pro meritis præmium, aut pœnam decernat, heu vos miſeros, qui ejus majeſtatem ſpreviſtis, violaſtis præcepta, offuſcaſtis gloriam, fidem prodidiſtis, & prius creditum abjuraſtis. Quid vobis infœlicius, ſi quicquam veſtri poſt hanc vitam remanet? Fortè in nihilum redigemini; at quid ſi ſuperſtites? Quid ſi in irati numinis manus incidatis? An non aliter Homines, quam bruta Animantia ſpirare fingitis? Sic Animæ veſtræ extinguuntur, ut à morte quicquam veſtri reliquum non ſit? Verum quid ſi Hominis mens æterna ſit? Quid ſi nunquam ſit interitura? Imo & Corpus ipſum aliquando ſit integritati reſtituendum? XXXVI.

Cùm

XXXVII. Cùm neutrum vobis certò conſtet, dubiique hæreatis, mortaléſne ſint Animæ veſtræ, an interitus expertes, annon ſuadet Ratio ut viam ſecutiorem ineatis, & Deum potius eſſe, quàm non eſſe contendatis? Quippe ſi Deus eſt, ſummum Bonum aſſecuti eſtis; ſi non eſt, certè nullius rei jacturam facitis? Quid autem furori proximius, quàm omnem futuræ fœlicitatis ſpem abjicere, & ſe æternæ calamitatis diſcrimini exponere. Scitote igitur, quicumque eſtis Athei, immortalem eſſe Hominem, & ad Dei imaginem & ſimilitudinem conditum. Quòd ſi Homo Dei imaginem refert, ejuſque ſimilitudinem exprimit, eandem cum origine ſua naturam conſequi neceſſum eſt, atque Æternitatis fore conſortem. Piaculum enim eſt, id caducum ac mortale ſtatuere, quod à Dei ſubſtantia prodiit, quodque à Divina mente Homini eſt inſpiratum.

XXXVIII. Plura in hujus Argumenti evidentiam adducerem, ni prætationis limites tranſgredi vererer, nonnulloſque ſuſpicio ſubiret, me id ex propoſito ſuſcepiſſe, quod ſanè non niſi Animi impetu aggreſſus ſum; monere vos, Athei, volui, non rationibus vincere. Quippe ſi aſſertam Numinis majeſtatem cernere cupiatis, ſi macrocoſmi Dominum, & microcoſmi Opificem mentis Oculis contemplari animus eſt, Clariſſimus Parkerus, Author Diſputationum de Deo & Providentia Divina perluſtrandus eſt. Is enim detecta primùm impietatis origine, validis adeo Rationibus Deum eſſe à Rerum Finibus,

nibus, à mundi productione, à generis Humani ortu, & Corporis Humani ſtructura oſtendit, ut tantùm non demonſtret. Sed quia Diſputatione ſexta, quam contra Scepticorum, & Academicorum diſciplinam, atque Metaphyſicas Carteſii meditationes inſtituit, celeberrimi hujus philoſophi Rationes ad Dei exiſtentiam probandam, expugnare molitur, muneris mei eſſe duxi, tanti viri Doctrinam in ſuis meditationibus traditam defendere, & Rationes, quibus ad Numinis exiſtentiam demonſtrandam utitur, ab omni ſeu Erroris, ſeu Imbecillitatis ſuſpicione, pro Ingenii mei modulo vendicare ac tueri.

XXXIX. Et quoniam Eximius Theologus, viæ, quam iniit Carteſius, de Rebus omnibus ambigendi, imprimis adverſatur, aſſenſuſque ſuſtinendi argumenta propugnat; nonnulla de Scepticorum Dubitatione præfatus, Carteſianæ Dubitationis, utilitatem oſtendo, quæ in eo ſita eſt, ut à præjudiciis liberemur, & mentem à ſenſibus, quibus in Rerum cognitione comparanda tantoperè diſtrahimur, abducamus. Mox laudato clariſſimi Philoſophi inſtituto, in Propoſitionibus Mathematicis quoque in ambiguo ponendis, donec, per explorata principia, earum Veritas certò innoteſcat, ad primum, & inexpugnabile omnis ſcientiæ principium enucleandum tranſeo, quod meritò pro Criterio, & indubitata veræ cognitionis nota, ab omnibus habendum eſt. Jacto hoc primæ Philoſophiæ fundamento, nihil mihi facilius viſum eſt, quàm diſcrimen inter Mentem & Corpus

Corpus ſtatuere, & cogitationem ſoli menti aſſerere.

XL. Cæterùm cum Humana mens inter alias plurimas, quæ illi occurrunt, Ideas, Dei, ſeu Entis ſumme perfecti Ideam in ſe reperiat, ritè infertur, hujuſmodi notionem nobis eſſe ingenitam, hoc eſt, non à ſenſibus hauſtam, neque imaginationis opera, Intellectui repræſentatam. Hinc etſi Deus Infinitus ſit, nullisque limitibus coerceatur, nihil tamen obeſt, quin à nobis apprehendatur, quamvis comprehendi, ſeu per Infinitum conceptum exhiberi refugiat. Infiniti enim notio, ut vera habeatur, nequaquam comprehendi debet, quoniam formalis Infiniti ratio incomprehenſibilitatem complectitur.

XLI. Demum Dei exiſtentiam ex ejus natura ac eſſentia clare deduci contendo, quod non ex Argumentis modò, ſed ex ipſis Reſponſionibus ad Objectiones factis manifeſtum eſſe arbitror. Ut mihi ſecurius conſulerem, Carteſii Rationes ubique adhibeo, imo ejus verbis magis quàm propriis non rarò utor, ut Lectori perſpicue appareat, quicquam adhuc contra ejus Doctrinam excogitatum non fuiſſe, ad quod prius non ipſe reſponderit, aut quod illi opponi poſſet, non præviderit.

INDEX

INDEX Capitum, quæ in hac Apologia continentur.

Præfatio ad Atheos. i.

Cap. I. *Cur non niſi pauci Carteſii principia, & deductas ex eis veritates percipiunt.* p. 1.

Cap. II. *Qui Sceptici, quidque docuerint, & an inter illos ſit Carteſius numerandus.* 10.

Cap. III. *Omnes propemodùm Philoſophi, à Dubitatione ad veritatis inquiſitionem proceſſerunt.* 16.

Cap. IV. *De Carteſiana Dubitatione, & maximo ejus in prima Philoſophia uſu.* 23.

Cap. V. *Rectè Carteſius, ob Errores, quibus Senſus ſunt obnoxii, de Rebus Materialibus, præſertim particularibus, dubitare aggreſſus eſt.* 31

Cap. VI. *Qua ratione, Carteſius Res generales, & Mathematicas Veritates in dubium vocavit.* 40

Cap. VII. *Non fruſtrà Carteſium, malignum quendam Genium ſuppoſuiſſe, ad Rerum Dubitationem validiùs firmandam.* 49

Cap. VIII. *Ut primum omnis Scientiæ fundamentum Carteſius invenerit, & quale illud ſit.* 60

Cap. IX. *De Criterio, ſive nota indubitata veræ Certitudinis.* 68

Cap. X. *Summa cum Ratione Mentem à Corpore diſtinctam Carteſius comprobavit.* 77.

Cap.

Cap. XI. *Oſtenditur Carteſium, ritè à Dei potentia, Mentis à Corpore diverſitatem deſumpſiſſe.* 88.

Cap. XII. *Solam Mentem, hoc eſt, Subſtantiam Spiritualem, non autem Corpus poſſe cogitare.* 95.

Cap. XIII. *Deus ſub nulla ſpecie, aut Forma materiali, Menti noſtræ occurrit.* 105.

Cap. XIV. *Oſtenditur Carteſium Divinæ Subſtantiæ Cogitationem, ſeu Ideam habuiſſe.* 116.

Cap. XV. *Ingenitam eſſe omnibus Hominibus de Deo cogitandi Facultatem.* 128.

Cap. XVI. *De Dei Veracitate, & quod Hominibus imponere nullatenus poſſit.* 137.

Cap. XVII. *Deus quamvis Infinitus, per Ideam finitam, à nobis cognoſci poteſt.* 147.

Cap. XVIII. *Realitas objectiva, ſive Cogitationum noſtrarum eſſe objectivum non eſt nihil, verùm aliquid in ipſis reale & perfectum.* 162.

Cap. XIX. *Realitas Objectiva Ideæ Dei etiamſi Formalem non æquet, tamen Dei Exiſtentiam optimè concludit.* 176.

Cap. XX. *De clara & diſtincta Dei Attributorum notitia, & quòd hæc à Parentibus, aut ab Inſtitutione non proveniat.* 188.

Cap. XXI. *Cogitatio de Ente Infinito, à Mente noſtra, quæ Finita eſt, effingi non poteſt.* 198.

Cap. XXII. *Exiſtentia Dei, ab Eſſentiæ Divinæ conceptu rectè infertur.* 209.

APOLOGIA
PRO
CARTESIO.

Caput Primum.

Cur non niſi pauci Carteſii principia, & deducĩas ex eis Veritates percipiunt.

ADeò Antiquitatis gloria apud nonnullos Mortalium invaluit, tantamque in eorum Animis nacta eſt poteſtatem, ut Neoterica quæque inventa reſpuant, nihilque quod ipſi proſequantur, dignum autumant, quod ipſius Vetuſtatis authoritatem non adſciſcit, & in ſui aſſertionem, primorum Hominum canitiem non vendicat. Hinc *Novas* omnes Opiniones aſpernantur, nihilque verum eſſe exiſtimant niſi quod ab *Ariſtotele*, *Platone*, aut ipſo etiam *Epicuro* traditum recipimus. Nihil prædonuiſſe juvat, eam eſſe veritatis indolem, ut præſcribi nequeat, & non minus Temporum intervallum, quàm Regionum

I. *Magni apud quoſdam Homines Antiquitatis æſtimatio.*

 privi-

privilegia ſupergrediatur, ipſis nunquam non ſuſpecta eſt, niſi veterum ſuffragiis ſtabiliatur, & poſterioribus ſeculis emineat. Audaciam enim eſſe ducunt à communi Hominum *ſenſu* diſcedere, & ſingularitatis titulum, natis apud nos inventis, aucupari. Nam ac ſi apud priſcos ſolos recondita foret veritas, & in eorum penetralibus occultaretur, non niſi ex ipſis eruendam eſſe pronuntiant, à quibus jus mutuatur, & præſcribendi vim obtinet: quemadmodum *Tertullianus* de vetuſtiſſima Philoſophorum doctrina "Libro de Animo, Cap. 2. diſſerit: Magis dicendo "perſuadens, quàm docendo; Leges Natu-"ræ opiniones ſuas facit, omnia præſcribit.

II. *Quid Samuelem Parkerum moverit ad ſcribendum contra Carteſium.*

Huic *Tertulliani* Opinioni impenſè favet Eruditiſſimus Doctor, adversùs quem, Apologiam pro Carteſio molior: Quippe *Diſputatione ſexta* Libri ſui (de Deo, & providentia Divina) *in qua contra Scepticorum & Academicorum Diſciplinam, potiſſimum Ciceronis de Quæſtionibus Academicis Libros, & Carteſii Meditationes Metaphyſicas* diſputat, poſtquam in ſuperbum quoddam, procax, & faſtidioſum Hominum genus, uti loquitur, invectus eſt, qui omnem Scientiæ *rationem* ſumma cum petulantia aſpernantur, quique ſcientias male fundatas eſſe, ac proinde à novis principiis inchoandas eſſe clamitant, in Carteſium demum impingit, quem licet ſummo Ingenii acumine præſtitiſſe, & plurima in *Geometria* adinveniſſe fateatur, quæ ipſi ingentem famam, immortalitatemque conciliarunt: Illi tamen ſuccenſere videtur, quòd tantum auſus eſt, atque Scientiarum fines provehere, non ſat laudi duxerit, *niſi & nova omnium fundamenta jaceret.* Verùm, quid, ſi quod aggreſſus eſt Carteſius,

egerit,

egerit? quid si peregerit? an propterea superbiæ, aut procacitatis insimulandus est?

III. *Scientiarum & Artium Conditores semper honor sequitur.*

Video undique apud priscos Authores, Artium, & Disciplinarum Inventores maximè laudari, & tanquam sui ævi aut præsidia, aut decora à posteris haberi. Video *Gallos* (si Cæsari Libro sexto de Bello Gallico habenda fides est) *Mercurium* quondam inter Deos coluisse, quòd Scientiarum Conditor duceretur, ac eas Artes in Mundum introduxisset, quibus humanæ Vitæ *felicitas* stat, atque tam Animi, quàm Corporis bonis consulitur. Video *Athenienses* apud *Diodorum* Libro primo ver. Antiq. cap. 2. legem ab *Ægyptiis* mutuasse, quâ primum Nobilitatis gradum iis assignant, qui cæteris Doctrina eminent, aut novarum Artium inventores comprobantur. Video in sacris Codicibus Genes. ii. quòd licet fœminarum nomina subticeantur, dum Hominum propagines enumerantur, *Noemæ* ob Artis præstantiam, mentionem fieri, quæ lanificium, & pannum texere docuit, cùm antea Homines pellibus uterentur, & se solis Animalium exuviis ab Aeris intemperie vendicarent. Honor Scientiæ & Artis individuus semper comes fuit, & inseparabile ab earum Authoribus præmium.

Artes nutrit honos, excelsæque indolis esca est
Gloria. ———

IV. *Cur à quibusdam Carteſius ut par est, non æstimatur.*

Si ita se res semper habuit, annon meritò quispiam inquiret, quorsum igitur Carte-sius, quem & seculi nostri Ornamentum, & Philosophiæ Restauratorem appellant, à nonnullis deprimatur, eique temeritati vertatur, quòd novam Philosophandi rationem intulerit,

atque alia principia, quibus veritas indagetur, invenerit? Si nova repentinam Animo commotionem causantur, sive Admirationem in nobis pariant, cur apud quosdam Cartesii Doctrina vilescit? Causam profert vir eximius Sectione prima præfatæ Disputationis: *Inter recentiores autem alius nemo majori aut sui fiducia, aut aliorum applausu quàm Cartesius, omnium Scientiarum inventionem sibi arripuisse visus est.* En Cartesii crimen, en causa odii, quòd miserrimam Philosophiæ sortem miseratus, à communi ac trita Scientias tradendi Methodo recesserit, & novam de rebus differendi viam sit ingressus. At tantùm Scientiarum fundamenta reperisse *visus est*, ficcine? Quid si quod molitus est, præstiterit? Atque id præstitisse, testantur plurimi & doctrina, & ingenii acumine celeberrimi Viri, qui extructas ex ejus *principiis* Demonstrationes non solùm exosculantur, sed eas *Geometricis* haud inferiores agnoscunt?

V. *Præclarorum Virorum de Cartesio testimonia.*

Sic testatur Author præfationis ad principia Philosophiæ More Geometrico demonstratæ: Alii (Philosophi) jam receptam, & "in Scholis doceri solitam, alii novam pro- "prio Marte adinventam, istam in ordinem "redegerunt Philosophiam, atque orbi lite- "rario propinarunt. Et quamvis diu mul- "tisque labor iste irrito successu susceptus fu- "erit, exortum tamen fuit tandem splendi- "dissimum illud seculi nostri Jubar *Renatus* "*des Cartes*, qui postquam in Mathesi quic- "quid Veteribus inaccessum fuerat, quicquid "insuper à coætaneis suis desiderari posset, "nova Methodo tenebris in lucem protrax- "erat, Philosophiæ fundamenta incussa eruit, "quibus plurimas veritates ordine ac certi-

"tudine

" tudine Mathematica superstrui posse, & ipse " revera demonstravit, & omnibus, qui illi- " us scriptis nunquam satis laudandis animum " sedulò applicuerunt, luce meridianâ clarius " apparet. Unde haud immeritò *Henricus Morus*, illustris apud Cantabrigienses Philoso- phus Theologus, Epistola ad Dominum Des- cartes, sic eum alloquitur: Omnes quotquot " exiterunt, aut etiam existunt Arcanorum " Naturæ Antistites, si ad magnificam tuam " indolem comparentur, pumilos planè vi- " deri ac pygmæos: meque cum vel unica vi- " ce evolvissem lucubrationes tuas Philoso- " phicas, suspicatum esse, illustrissimam tu- " am discipulam, Serenissimam principem " Elizabetham, universis Europæis, non fœ- " minis solùm, sed viris, etiam Philosophis, " longe evasisse sapientiorem. Quod mox evi- " dentiùs deprehendi, cum inceperim scripta " tua paulò penitius rimari & intelligere.

VI. *Qui Carteſii doctrinam ſemel amplexi ſunt, eam ſemper tuentur.*

Imo si ingentem eorum numerum spectes, qui Cartesianam Doctrinam secuti sunt, idem ipsis contigisse reperies, quod sui seculi Philosophis ac Mathematicis primùm evenisse *Galilæus* dialog. 2. Syst. Cosm. meminit, quod in Copernicanæ Hypotheseos assertoribus cottidiana adhuc experientia edocemur, illorum neminem unquam repertum esse, qui non prius adversam *Ptolemaicam* Opinionem amplexus sit, adeoque perspectissimas *Ptolemæi* & *Aristotelis* rationes habuerit: cum è contrario nemo Ptolemæum Aristotelemque sequatur, qui Copernici partes antea tutatus est, eoque spreto in Aristotelis castra pedem intulerit. Quo Argumento facile ad credendum adduci possumus, illos qui Veterum Philosophiam deseruerunt,

ut *Carteſii* veſtigiis inhærerent, evidentiſſimis ac urgentiſſimis rationibus fuiſſe ad id impulſos.

VII. *Cur Carteſii rationes Metaphyſicæ non ab omnibus percipiantur.*

Si ſciſciteris, quamobrem igitur tam perſpicuæ rationes, cæteris aliis pari modo non manifeſtantur? Cur nonnullos fugiunt qui iis intelligendis ſummam etiam adhibuere operam? Ad hanc tuam Cupiditatem facient Carteſii verba Epiſtolæ Dedicatoriæ ad ſacram Facultatem Theologicam Pariſienſem. Quamvis certas & evidentes illas putem, non tamen ideò mihi perſuadeo, ad omnium captum eſſe accommodatas. Sed quemadmodum in *Geometria* multæ ſunt ab *Archimede*, *Apollonio*, *Pappo*, aliiſve ſcriptæ, quæ etſi pro evidentibus etiam ac certis ab omnibus habeantur, quia nempe nihil plane continent, quod ſeorſim ſpectatum non ſit cognitu facillimum, nihilque in quo ſequentia cum *antecedentibus* non accuratè cohæreant, quia tamen longiuſculæ ſunt, & valde attentum Lectorem deſiderant, non niſi ab admodum paucis intelliguntur: Ita quamvis eas, quibus hîc utor, certitudine, & evidentia *Geometricas* æquare, vel etiam ſuperare exiſtimem, vereor tamen ne à multis ſatis percipi non poſſunt, tum quia etiam *Longiuſculæ* ſunt, & aliæ ab aliis pendent: tum præcipuè, quia requirunt Mentem à præjudiciis planè liberam, & quæ ſeipſam à Senſuum conſortio facile ſubducat.

VIII. *Unde pauci ſint ſtudiis Metaphyſicis idonei.*

Nec certè plures in Mundo, Metaphyſicis ſtudiis, quàm Geometricis apti reperiuntur: Ac præterea in eo differentia eſt, quòd in *Geometria*, cùm omnibus ſit perſuaſum, nihil ſcribi ſolere, de quo certa Demonſtratio non habeatur, ſæpiùs in eo peccant imperiti,

riti, quòd falsa approbent, dum ea videri volunt intelligere, quàm quòd vera refutent. Contra verò in *Philosophia*, càm credatur nihil esse, de quo non possit in utramque partem disputari, pauci Veritatem investigant, & multò plures ex eo, quòd ausint optima quæque impugnare, ingenii famam aucupantur. Quis enim nescit plurimos contradicendi *impetu* arripi, atque illis veritatibus adversari, quas alii amplectuntur ac defendunt? Ut mobili & inquieta Mente gaudent, nullis limitibus coercentur & cogitationes suas non minus in *ignota*, quàm nota dimittunt. Se ad veritatem inquirendam se genitos esse jactitant, quam ritè venari arbitrantur, si in utramque partem rationes proferant, aut nullius saltem Sensui adstringantur. Quisque vult, Doctrina præstare, & glorioſum existimat, pro veritatis decore decertare. Nam ut præclarè scribit *Martialis*

Divitias & opes frequens donabit Amicus
Qui velit ingenio cedere, rarus erit.

IX. *Mens à sensibus avocanda, ad res Metaphysicas intelligendas.*

UNDE quamvis certa ac evidentia sint, quæ Carteſius stabilivit *principia*, & quas ex eis deducit veritates, *Geometricis* non cedant; quia tamen multa à teneris annis hausimus præjudicia, quibus nos exuere Adulti ægrè possumus; oritur ut non nisi valde attentis, & Mentem à rebus corporeis avocantibus ad amussim cognoscantur. Eam ob causam Responsione ad secundas Objectiones, palam profitetur, nullum illi cum iis esse Negotium, qui cum ipso rem attentè non considerant, ac sedulò meditari recusabunt. Et hujus propositi causa, ex eo potissimùm elucescit;

quòd cùm inter illa, quæ proponit, ſumma de omnibus *Dubitatio* contineatur, nihilque magis commendet, quàm ut ſingula diligentiſſimè circumſpiciantur, nihilque prorſus admittatur, niſi quod tam clare & diſtinctè fuerit perſpectum, ut non poſſimus ei non aſſentiri: Et è contra non alia ſint à quibus *Lectorum* animos avocare cupiat, quàm ea, quæ nunquam ſatis examinarunt, nec ab ulla firma *ratione*, ſed Senſibus ſolis hauſerunt, non putat quemquam credere poſſe, in majore ſe errandi periculo futurum, ſi ea, quæ ei proponit ſola conſideret, quàm ſi ab his mentem revocet, & ad alia, quæ ipſis aliquo modo adverſantur, tenebraſque affundunt (hoc eſt ad præjudicia Senſuum) illam convertat.

X. *Qui veriſimilitudine contenti ſunt, de Veritate comparanda non ſunt ſolliciti.*

Alia etiam cauſa eſt, cur quidam obſervatam in *Carteſii* Meditationibus Methodum declinent, & concatenatas veritates fugiant; quòd Rerum veriſimilitudine contenti, de omnibus diſſerere affectant, parum de veritate comparanda ſolliciti, modò famam aliquam ſibi concilient. Nam cùm facilè, citraque magnum laborem, veri ſpecies in Rebus deprehendatur, & in omni propemodum materia occurrat, à veritatis, quam reconditam putant, inveſtigatione abſtinent, quæ in quibuſdam paulatim dumtaxat detegitur, & non niſi enixè meditantibus ſe manifeſtat. *Analyſis* autem, quam ſolam in ſuis Meditationibus *Carteſius* ſequitur, veram viam oſtendit, per quam res Methodicè, & tanquam à priori inventa eſt, adeò ut, ſi lector illam ſequi velit, atque ad omnia ſatis attendere, rem non minùs perfectè intelliget, ſuamque reddet, quàm ſi illam ipſe-

met

met inveniſſet. Nihil autem habet, quo Lectorem minùs attentum, aut repugnantem ad credendum impellat. Nam ſi vel minimum quid ex iis, quæ proponit non advertatur, ejus *Concluſionum* neceſſitas non apparet, ſæpeque multa vix attingit, quia ſatis attendenti perſpicua ſunt, quæ tamen præcipuè ſunt advertenda.

XI. *A quibus ſuas Meditationes legi optat Carteſius.*

HINC Philoſophus in *præfatione* ad Lectorem, apertè inſinuat, ſe nemini Authorem eſſe velle, ut Primæ ſuæ Philoſophiæ initia legant, niſi iis, qui ſeriò cum illo meditari, mentemque à Senſibus, ſimulque ab omnibus præjudiciis abducere poterunt, ac volent, ſed quales non niſi admodum paucos reperiri ſat manifeſtum habet.

XII. *Carteſii adverſarii non tam malitioſi ſunt quàm ignari.*

QUOD igitur nonnulli, non ea, qua par eſt, humanitate, *Carteſium* aggrediantur, non tam id eorum malitiæ, quàm ignorantiæ tribuendum cenſeo, ortumque inde arbitror, quòd acutiſſimi Scriptoris Methodum, & rationes non calleant; vel ſatis Ingenii non habentes; vel ſatis Temporis ad eas diſcutiendas ſumere detrectantes. Quippe non trita & vulgari *via* Philoſophus, ut jam dixi, procedit, ſed inſolita Philoſophandi ratione utitur, à rebus ſcilicet ſub ſenſum & phantaſiam non cadentibus, quibus humanus Intellectus totus immergitur, Animum ſuum abſtrahit, profundiſſimarum Demonſtrationum nexum breviſſimo ſæpe verborum gyro, ut *Mathematicus* conſtringit. Odit enim profanum vulgus & arcet, qui præjudicatis Opinionibus adhærentes, ſeriò meditari ſecum aut non poſſunt, aut non volunt.

NON

XIII. *Carteſii meditationes etſi ab omnibus non capiantur, non ab eis ſcribendis abſtinere debuit.*

NON tamen inde inferendum eſt, *Philoſophum* rectius facturum fuiſſe, ſi ab iis ſcribendis abſtinuiſſet, à quibus legendis, permulti abſtinere debent: quippe ea quæ in *prima Meditatione* atque etiam in reliquis continentur, tam neceſſaria eſſe exiſtimat, ut ſine ipſis, nihil unquam firmum & ſtabile in Philoſophia ſtatui poſſe ſibi perſuadeat. Nam quamvis ignis & ferrum ab imprudentibus, aut pueris, ſine periculo non tractentur, quia tamen ad vitam utilia ſunt, nemo eſt, qui putet idcirco ipſis eſſe carendum.

Caput Secundum.

Quid Sceptici, quidque docuerint, & an inter illos ſit Carteſius numerandus.

I. *D. Parkerus Scepticis Carteſium annumerat.*

HAUD ſatis mirari queo, quo parto *Carteſius*, quem Dogmaticum tota Eruditorum turba agnoſcit, & qui rationes ſuas pro certiſſimis & evidentiſſimis proponit, à Clariſſimo Doctore, pro *Sceptico* haberi poſſit, & inter eos recenſeri, qui de rebus quibuſlibet propoſitis aſſenſum continent, nihilque adeò pronuntiant. Nam ubi tredecim Sectiones Diſputationis ſuæ Sextæ in Pyrrhoniorum & Academicorum repudianda Opinione impendiſſet, demum Decimam quintam hoc modo adoritur: *Jam verò cum qua lenitate ſuſcepta ſit veterum Scepticorum diſciplina demonſtraverimus, nihil opinor opus eſt ut ipſam eandem levitatem propter unum Carteſium nunc iterum reprehendamus.* Quaſi verò Scepticorum

ticorum sententiæ Philosophus accedat, & per omnia eos æmuletur.

QUALIS igitur fuerit *Cartesius*, &, quos potissimum ex Antiquis sequatur, liquidius apparebit, si in mentem revocemus tres quondam inter *Græcos* fuisse Philosophandi rationes; Dogmatica, Acataleptica, & Sceptica. II. *Tres Philosophorum sectæ inter veteres.*

DOGMATICI Philosophi appellati sunt, qui Rerum naturas se nosse profitentur, ratasque autumant quas se adinvenisse jactant Opiniones. Hinc secundùm nominis etymologiam, placita, seu *Decreta* proferunt, quibus, rebus quas examinandas suscipiunt, firmitatem conciliant. III. *Dogmatici.*

ACATALEPTICI dicuntur, qui de humani ingenii viribus nimiùm diffidentes, aut Naturæ producta nimis abstrusa, aut conceptu impossibilia arbitrati, non quicquam veri reperiri posse mordicus statuunt, sed veluti Res omnes tenebris involverentur, Mentis humanæ aciem fugere, aut saltem nequaquam posse comprehendi. IV. *Acatalepticii.*

SCEPTICI via media incedebant, utriusque Sectæ participes. Quippe neque verum adhuc inventum esse decernunt, nec quid nequaquam inveniri, comprehendique minimè possit, deliberant: sed veluti suspensi assensum cohibent, sententiamque sustinent, quamvis veritatem inquirant, aut ejus contemplationi sedulò incumbant. Unde cùm illis argumentum propositum fuisset, quo humana libertas stabiliebatur, & cui respondendo impares se agnoscebant, illorum causam egit *Sextus Empericus* his verbis: *Cùm* aliquis rationem nobis adfert, quam destruere non possumus, illi dicimus, ante nati- V. *Sceptici.*

"vitatem

"vitatem ejus, qui ſectam, cui ſe dedit, in-
"troduxit, eam rationem, quam Secta ea
"ipſi præbet, bonam non eſſe viſam, & ta-
"men ea ratio, in rerum natura non deſine-
"bat eſſe, quamvis cognita non eſſet: ſic
"etiam fieri poteſt ut ratio, quæ eam deſtruit,
"quam adfert, in rerum natura inveniatur,
"quamvis nondum cognita ſit, atque ideò
"non oportet cedere rationi, quam adfert,
"utut fortis etiam hoc tempore præſenti ap-
"pareat.

VI. *Sceptici cur à Græcis Ephecti appellati. Eorum Author, & diſcipuli.*

EAM ob cauſam *Ephecti* à Græcis nuncupati ſunt, quòd de re qualibet ambigerent, nullique quantumvis manifeſtæ ac evidenti aſſentirentur. *Academici* quidem, quemadmodùm *Agellius* libro undecimo, capite ſecundo loquitur, Ipſum illud nihil comprehendi, "quaſi comprehendant, & nihil poſſe decerni, quaſi non decernant. *Pyrrhonei* autem, "ne id quidem ullo pacto videri verum dicunt, quod nihil eſſe verum videatur. Nam conſtat Scepticos à *Pyrrhone* Elienſi nomen habuiſſe, à quo hoc Philoſophandi inſtitutum potiſſimùm prognatum eſt, & dubitandi, deliberandique Methodus emanavit. Non incelebres habuit *Pyrrho* Diſcipulos, *Nauſiphanem Teium*, *Timonem Phliaſum*, *Hecatonem Abderidem*, *Philonem Naucidem*, *Eurilochum*, & quàm plurimos alios, qui etſi abſtruſa omnia eſſe aſſererent, & toti in evertendis aliorum Dogmatibus occuparentur, Diſciplinæ tamen formam conſcripſere, quam velut legem ac Sectam poſteri haberent, ac ſequerentur. Ex iis jam nominatus, *Sextus Empericus* eminet, Plutarchi nepos, & quem tanti feciſſe Marcus Antoninus fertur, ut cum illo jus diceret, eum jam Senex factus conſuleret, atque in Re-

bus

bus difficillimis, ejus ſententiam amplecteretur.

VII. *Præcipua Scepticorum Decreta.*

PRÆCIPUA hujus Sectæ effata ſunt: Quòd omni Orationi, aliæ æqualis ponderis, ſive momenti orationes opponantur. Quòd omnia, quæ ſub Senſum, aut Intellectum cadunt, ſunt indefinita, hoc eſt, quantum ego capio, pro eo quod eſt, ſibi videri. Quòd Aliquid magis unum non eſt, quàm aliud, ac proinde non magis uni propoſitioni aſſentiendum eſſe, quàm alteri.

VIII. *Secundùm Scepticos naturæ rerum non cognoſcuntur.*

SCEPTICI rerum quidem ſpecies, ſive apparentias admittunt, verùm tales in ſeipſis eſſe inficiantur, quales Senſu deprehenduntur. Unde ſi Scepticum quis interroget, an exempli cauſa, *Sol* ſplendeſcat, aut *Saccharum* dulcedine imbuatur, illico ita ſibi videri reponet. Sed cùm ea, quæ in rebus Senſu deteguntur, externa duntaxat adjuncta ſint, & non niſi organa afficiant, ratione diſcerni non poſſe aſſeverabit, an intima *Sacchari* & *Solis* natura, talis ſit revera ejuſmodi, quandoquidem certis Hominibus, temperamenti vitio, aliter videatur. Ad eum prorſus modum *Sceptici* in Ethicis loquuntur, quippe nihil à Natura pulchrum eſſe, aut deforme, nihil juſtum, aut injuſtum eſſe affirmant, ac proinde circa omnia dubii & ancipites, nihil determinant, imo ne id quidem ſe determinare abnuunt.

IX. *Quomodo intelligendi Sceptici dum dicunt ſe nihil definire.*

UNDE cùm Scepticus pronuntiat, *Nihil aſſero, nihil definio, nihil determino*, non ſic intelligendus eſt, quaſi aſſereret, definiret, aut determinaret ſe nihil aſſerere, definire, aut determinare; ſed veluti diceret, adeò vacillantis nunc ſum animi, ut nihil eorum, quæ proponuntur, quicquam dogmaticè affirmem, aut inficiar. Uti de *Arceſila*, qui mediæ

diæ Academiæ conditor fuit, Romanus Orator teſtatur 1°. Acad. q. *Arceſilas*, inquit, negat eſſe "quicquam, quod ſciri poſſit, ne illud quidem "ipſum, quod Socrates ſibi reliquiſſet. Sic "omnia latere cenſebat in occulto, neque eſſe "quicquam, quod cerni aut intelligi poſſit. "Quibus de cauſis nihil oportere neque profi-"teri, neque affirmare quemquam neque aſ-"ſenſione approbare: cohibereque ſemper, "& ab omni lapſu continere temeritatem. "Quæ cùm eſſet, inſignis, tum aut falſa aut "incognita res approbaretur. Neque hoc "quicquam eſſe turpius, quàm cognitioni & "perceptioni aſſenſionem approbationemque "præcurrere. Huic rationi quod erat conſen-"taneum; faciebat, ut contra omnium ſen-"tentias dies jam pleroſque diceret. Ut cùm "in eadem re paria contrariis in partibus mo-"menta rationum invenirentur, facilius ab "utraque parte aſſenſio ſuſtineretur.

X. *Cenſet Parkerus Carteſium cum Scepticis convenire.*

HÆC obiter de Scepticis, eorumque Effatis dicta ſunto. Examinandum ſupereſt, num *Carteſius* in ſuis de prima Philoſophia meditationibus, Scepticorum Inſtitutum ſecutus fuerit; nam id illi vir clariſſimus initio Sectionis decimæ quintæ improperare videtur. *Quæ enim aſſenſus ſuſtinendi argumenta ipſe* (Carteſius) *attulit, niſi quæ ipſi* (Sceptici) *prius attulerunt; ſe nimirum aut inſanire aut ſemper ſomniare poſſe; quibus quid inter priſcos magis tritum, quid ſæpius repetitum legimus?*

XI. *Vindicatur Carteſius à Sceptiſmo.*

FATEOR equidem Philoſophum, *Dubitationem* ſuæ, & aliorum Scientiæ præferri voluiſſe, ac proinde Cauſas in prima meditatione expoſuiſſe, propter quas de Rebus omnibus ambigere liceat. At quo fine? quo propoſito id aggreſſus eſt? Non ut ipſa *Epoche*, ſeu dubitatione

dubitatione gradum fisteret, quemadmodum fecere Sceptici, qui authore *Gellio*, nihil decernunt, nihil constituunt; sed in quærendo semper considerandoque, quidnam sit omnium rerum, de quo decerni constituique possit. Verùm, ut per *Dubitationem*, viam facillimam sterneret, ad Mentem à Sensibus avocandam, ac de iis, quæ postmodùm vera esse deprehendentur, in dubium ampliùs vocari non queant. Prout insignem Philosophum decet, veteres ac incertas opiniones exuit, ut novas & irrefragabiles sententias stabiliat, ac ita ab Erroribus, quibus ab ineunte ætate imbutus fuerat, se liberaret, ut demum aliquid firmum in Scientiis constitueret ac moliretur. An sic assensum cohibuere Sceptici? An ita mentem in libertatem asseruere, ut an indubiam & infallibilem veri cognitionem pertingerent? Imo potiùs de nulla re ullum unquam judicium ferebant, assequi desperantes, quod tantopere prosequebantur; uno verbo, semper dubitabant, ut ad verum, aut falsum nunquam pervenirent.

XII. *Quædam Cartesii Decreta, quibus ostenditur Scepticum non fuisse.*

Et ut Res, de qua sic agitur, extra omnem controversiam constituatur, quis *Cartesium* non Dogmaticum agnoscit, ubi tam serio, tantaque cum animi deliberatione asserentem videt, nobis de Rerum evidentia constare, atq; nullatenus, errori esse obnoxios, ubi perspicue & distinctè rem percipimus; nos non casu, & cæcæ fortunæ impetu natos esse, sed à Deo, tanquam communi omniũ Conditori prognatos. 1.

Substantiam esse, quæ propria virtute existit, ac proinde Deo & Creaturis non pari ratione, sive univoce, ut loquuntur *Dialectici*, convenire. Rei autem corporeæ, seu materiali, & Menti creatæ univocè competere. 2.

Sub-

3. SUBSTANTIAM, cui ineſt immediatè Cogitatio, *Mentem* vocari, & Subſtantiam, quæ eſt immediatum extenſionis ſubjectum, & Accidentium, quæ extenſionem præſupponunt, ut figuræ, ſitus, motus localis, *&c.* vocari *Corpus*. Et quemadmodum localis motus, ſitus, figura, modi ſunt Corporis; Ita puram Intellectionem, Imaginationem, Senſum modos eſſe rei Cogitantis.

4. DUPLICEM eſſe Imaginationem, Corpoream, & Incorpoream; *illam* cerebri miniſterio exerceri, *hanc* autem citra illius opem, mentem noſtram exerere.

5. SUBSTANTIÆ Cogitantis *Voluntatem*, voluntariè quidem & liberè (hoc enim eſt de Voluntatis eſſentia) ferri, ſed nihilominus infallibiliter in Bonum ſibi clarè cognitum: ac proinde libero nos pollere arbitrio, in cujus uſu vero generoſitas poſita eſt.

6. IN omnis Rei Idea, ſine conceptu, *exiſtentiam* contineri, quia nihil concipere valemus, niſi ſub ratione exiſtentis; ſic ut poſſibilis, ſeu *contingens* exiſtentia, in Rei limitatæ conceptu continetur, ſed *neceſſaria* & perfecta in conceptu eritis ſummè perfecti.

7. QUASDAM Ideas menti noſtræ occurrere, non à Senſibus hauſtas, aut aliarum ope in nobis genitas, ſed à Deo per ſe, & immediatè mentibus noſtris impreſſas, quas *innatas*, communeſque Rerum Ideas appellamus.

XIII. *Ut Carteſius à Scepticis differat.*

QUÆ omnia Decreta, ſatis indicant Carteſium à Scepticorum opinione prorſus diſſentire, & eo fine de Rebus ambegiſſe, ut ad ſolidam Sapientiam obtinendam ſe compararet. Sceptici autem, quemadmodum obſervavit Lactantius lib. 3. de falſa Sapientia cap. 27. quaſi furibundi exiliunt, & exclamant ſe

cæcos

cæcos esse & excordes. Hinc ex hac desperatione, natam esse *Socratis* Disciplinam existimat, in qua Ignoratio & discitur, & docetur: Nec illos, qui Scientiam sibi assumpserunt, id ipsum, quod se scire putabant, constanter defendere potuisse. Qui, quoniam ratio illis non quadrabat, per ignorationem Rerum Divinarum tam varii, tam incerti fuerunt, sibique sæpè contraria differentes, ut quid sentirent, quid vellent, statuere ac dijudicare non possis. An par sit in *Cartesio*, ac Scepticis dubitandi ratio, id judicent, quorum Mens non ita in æquilibrio posita est, quàm rationum ponderibus deprimi queat.

Caput Tertium.

Omnes propemodùm Philosophi, à Dubitatione ad veritatis inquisitionem processerunt.

I. *Dubitatio omnibus ferme Philosophis communis.*

QUAMVIS *Dubitatio* Scientiæ adversari videatur, & veritatis inquisitionem præpedire; non tamen Cognitionis penitus expers est, imo nequaquam nosse quis dicendus est, qui priùs non dubitaverit. Ab hac enim Philosophandi Methodo, omnes pene prisci Doctrinæ viam inierunt, se ad Rerum evidentiam ac certitudinem facile perventuros arbitrati, si *cum novis Rebus quasi modò nascentes*, ut loquitur Cicero, *hæsitarent*, & tamdiu suspensos tenerent animos, donec ad veri falsique judicium, perfectioribus Cogitationibus pervenirent. Nam cùm omnis

cognitio, uti *Cicero* disserit. 4. Acad. 9. multis sit obstricta difficultatibus, eaque sit & in ipsis Rebus obscuritas, & in Judiciis nostris infirmitas, non sine causa & Doctissimi & Antiquissimi invenire se posse, quod cuperent, diffisi sunt.

II. *Socrates à dubitatione rerum investigationem orsus est.*

SOCRATES qui *Platonem* pro discipulo habuit, & cui suam differendi rationem impertitus est, inter Philosophandum dubitasse fertur; cui peculiare fuit, nihil quicquam de Rebus propositis statuere: sed *percontari*, *interrogare*, & quodam respondendi ritu, sermonem moderari, ac refutare. Sic ita loquentem *Plato* in Menone introducit: Non ego certa exploratáque rerum cognitione mihi consto, ut eo efficiam, quo alii dubitent: sed potius planè dubitabundus, in eosdem Dubitationis laqueos induco alios, quoniam Dubitationem præmitti debere existimavit, à qua velut Exordio, Rerum investigatio manat, & proficiscitur. Id apertè *Protarchus* indicat, dum ait, Dubitationem, non disputantis esse scopum, sed ut ad aliquid certi postmodùm deveniatur; ac proinde, ut ejus verbis utar, deliberare illum (nempe *Socratem*) ut alio modo Controversia componatur.

III. *Plato dubitandi modum affectat.*

NON ab hac procedendi via *Plato* abhorruit, sed Magistri sui vestigiis hærens, ad Scientiæ profectum, judicium retinuit, ut libratis utrimque Rationum ponderibus, quid eligendum foret, faciliùs assequeretur. Nam licet dum de Ideis, sive exemplaribus Rerum formis agit, aut Divinam providentiam explicandam aggreditur, Dogmaticus appareat, in pluribus tamen aliis, judicium ampliat, & Dubitantium ritum non in probabilibus tantùm, sed & in existentibus imitatur. Quemadmodum

dum teſtatur *Auguſtinus libr.* 8. *de Civit. Dei cap.* 4. "Plato cùm magiſtri ſui Socratis, "quem fecit in voluminibus ſuis diſputantem, "notiſſimum morem diſſimulandæ Scientiæ, "vel Opinionis ſuæ ſervare affectat, quia & "illi ipſe mos placuit, factum eſt, ut etiam "ipſius Platonis de Rebus magnæ ſententiæ "non facilè perſpici poſſint.

IV. *Non tamen in Dubitatione hæret, ſed ad cognitionem pergit.*

NAM quid Dubitationi magis favens, & ad exercitatorium characterem magis accedit, quàm nullam certam viam inire, & in Scientiis comparandis quærere, an principiis ad finem potiùs, quàm è diverſo à fine ad principia progrediendum ſit? Uti apud *Ariſtotelem* refertur libr. de moribus cap. 2. Rectè enim Plato, & de hoc dubitabat, & quærebat, utrum via à principiis ad finem, & à finibus ad principia duceret. Non tamen vaga omnino, & in incerto conſtituitur *Platonis* Dubitatio; ſed eam ad veritatis inventionem aſſumebat, quatenus examinatis, quæ in utramque partem, in medium afferuntur, rationibus, aliquid veri ſtatuat, aut ad illud ſaltem quàm proximè accedat. Nonne igitur, (Platonis ipſius ſunt verba in Epinomide) hoc maximè "fundamento conſtare videtur hæc noſtra de "Sapientia dubitatio & inquiſitio, & ad hunc "finem maximè referri? Quæ quidem am-"plior afficitur hac ſpe, quæ ſingulis ineſt. "In iis vel maximè, qui ſeipſos, & alios om-"nis rationis genere prudenter & congruen-"ter explorare poſſunt, *&c.*

V. *Carneades Dubitationem tuitus eſt.*

CARNEADES, etſi recentis Academiæ Conditor, non à priſcorum Philoſophandi ritu receſſit; ſed aſſenſum in omnibus coercendum eſſe ratus, eos plurimùm inſequebatur, qui verum reperiri poſſe judicarent, &

pluſquam veriſimilitudinem Hominibus obviam fieri arbitrabantur. Quippe ſuſtinebat eſſe *Rerum ejuſmodi diſſimilitudines, ut aliæ probabiles videantur, aliæ contra.* Id autem non eſſe ſatis cur alia percipi poſſe dicas, alia non poſſe. Propter ea quod multa falſa probabilia ſint, nihil autem falſi perceptum & cognitum poſſit eſſe. Itaque eos vehementer errare aſſerit, qui dicunt ab *Academia* Senſus eripi. Illud autem non diſputatum, non ineſſe his propriam, quæ nuſquam alibi, eſſet, veri & certi notam: quæ cùm expoſuiſſet, adjungit dupliciter dici, aſſenſum ſuſtinere *Sapientem*; uno modo, cùm hoc intelligatur, omnino eum rei nulli aſſentiri: Altero, cùm ſe à reſpondendo, ut aut approbet quid, aut improbet, ſuſtineat, ut neque neget aliquid, neque aiat.

V. *Dum voluit aſſenſum eſſe cohibendum.*

Id cùm ita ſit, alterum placere, ut nunquam aſſentiatur; alterum tenere, ut ſequens probabilitatem. Ubicunque hæc aut occurrat, aut deficiat, aut etiam aut non, reſpondere poſſit. Nec ut placeat, eum qui de omnibus rebus continet ſe ab aſſentiendo, moveri tamen, & agere aliquod, reliquit ejuſmodi viſa, quibus ad actionem excitemur. Item ea, quæ interroganti in utramque partem reſpondere poſſumus, ſequentes tantummodo quod ita viſum ſit, dum ſine aſſenſu, neque tamen omnia ejuſmodi vi approbari, ſed ea, quæ nulla re impedirentur. Sic Carneadis mentem explicat *Clitomachus* apud *Ciceronem* l. c. 4. Acad. q. Sed quam Sextus Empericus lib. 1°. Pyrrh. Hypoth. cap. 33. fuſius aperit.

QUOD hæc dubitandi ratio, *Ariſtoteli* quoque arriſerit, & ad probè judicandum utilem ac neceſſariam eſſe duxerit, ex plurimis ejus Scriptis manifeſtum apparet. Conſtat enim hunc Philoſophum Topicis Diſputationibus delectatum fuiſſe, & de rebus in contrarias partes diſſerendi modum affectaſſe. Quippe nihil frequentiùs in magnis ejus voluminibus, quàm hæc verba reperiuntur: *paulò ante dubitavimus*, aut illa, *dubitaret aliquis*, aut iſta, *quod miram habet dubitationem.* Quibus certè ſat indicat, à Dubitatione ad cauſarum notitiam eſſe pertingendum, & citra ipſam, non poſſe ad certam cognitionem perveniri. Sed planiùs, & velut ex propoſito libro primo Metaphyſicorum, capite ſecundo, circa hanc rem, mentem ſuam aperit: Propter Admirationem, inquit, & nunc, & primò cœperunt Homines Philoſophari, à principio quidem, admirando ea, quæ de dubitandis faciliora erant. Deinde paulatim ulteriùs procedentes, etiam de majoribus dubitando.

VI. *Utilem ac neceſſariam eſſe Dubitationem cenſuit Ariſtoteles.*

ET certè de Ariſtotelis mente quiſquis ſecurus eſſe poteſt, ſi ad libri tertii Metaphyſicorum inſcriptionem attendat, quæ ſic habetur: *Utilitas Dubitationis, & de quibus priùs dubitare neceſſum eſt.* Quare nihil evidentius ex Philoſophi ſententia, quàm *Dubitationem* eſſe neceſſariò Scientiæ inquiſitioni anteponendam, nec unquam veritatis lucem affulgere, ni priùs per examen dubia amoveantur, & pro utraque parte Rationes agitentur; ne ſcilicet aliorum ſententiis temerè receptis, aut rationibus, quæ eas fulciunt non probe perpenſis, eas amplecti, aut opponere videamur. Et hanc fuiſſe Ariſtotelis

VII. *Quod ex ejus ſcriptis metaphyſicis colligitur.*

ſententiam, declarat *Fonſeca* lib. 3. metaphyſic. "Eſt aliud documentum planè generale, quod docet *Ariſtoteles*, non modo initio "hujuſmodi Scientiarum; ſed etiam particularium tractationum, quibus propoſita eſt "rerum difficilium determinatio, à Dubitationibus initium ſumendum eſſe: nec vel "utrumque id faciendum: ſed bene, hoc eſt, "diligenter & accurate, nullaque pro parte "diſſimulata ratione Nam ſolvere vinculum nemo poteſt, qui vinculi nodum ignorat. Quare cum nihil aliud ſit, rei propoſitæ difficultates pro utraque parte diſcutere, quàm vinculorum mentis modos inſpicere, (nihil enim aliud ſunt Argumenta pro utraque parte, quàm vincula, quibus mens ligatur & impeditur, ne ultra progredi poſſit) is ſanè ad veritatis perceptionem optime ſe comparabit, qui de propoſita re dubia diligenter & accuratè, pro utraque diſputaverit.

VIII. *Neceſſaria Dubitatio ad verum comparandum.*

E diverſo, qui à *Dubitatione* abſtinent, & Difficultates, quæ in propoſita Quæſtione latent, expiſcari dedignantur, etſi veritatem nonnunquam nanciſcantur, an autem ad Diſputationis finem pervenerint, planè ignorant; iis prorſus ſimiles, qui iter ingreſſi, neſciunt quantum quem deſtituerunt, ab eo, ad quem tendunt locum, diſtet, aut quâ ad eum pergendum ſit. Quippe licet ad locum, quem meditabantur, appulerint, implicati tamen tenentur, eúmne certò attigerint, aut ulteriùs contendendum ſit. Quarè cùm Dubitatio unica via habeatur, quæ ad veritatem inquirendam ducat, & qua ignorata, ab ea abripimur, tamdiu difficultatibus nobis inhærendum eſt, donec veritas

veritas innoteſcat, & fulgore ſuo mentibus noſtris ſe inſinuet.

A *Scepticorum* Dubitatione recenſenda, hoc in loco abſtineo, quia cùm, uti capite præcedenti obſervatum eſt, in Rerum contemplatione dumtaxat occupentur, ac earum veritatem quibuſdam falſitatis ſignis, miſceri profiteantur, nihil unquam poſitivè decernunt, ſed omnia incomprehenſibilia eſſe exiſtimantes, aſſenſum retinent, nullique Opinioni aut favent, aut adverſantur. Quoniam ut bene animadvertit *Gellius*: Judicia rei cujuſque & ſinceras proprietates negant poſſe noſci & percipi. IX. *Sceptici dubitant tantum, nec ultra progrediuntur.*

Caput Quartum.

De Carteſiana Dubitatione, & maximo ejus in prima Philoſophia uſu.

CARTESIUS novam philoſophandi Methodum adorſus, id aſſequi haud poſſe putavit, ni à primis *principiis* inchoaret, omniumque rerum exiſtentiam in dubium vocaret, ſi quid aliquando *firmum* & perenne cuperet in Scientiis ſtabilire. Nam cùm animadverteret vir ſolertiſſimus, & in veritatis inveſtigatione prorſus ſingularis, quàm imbecille ſit humanum ingenium, & quàm multas de rebus ad Scientias ſpectantibus Opiniones, Infantiæ tempore, admiſerimus, exiſtimavit ab iis nequaquam nos poſſe liberari, ni illas abdicemus, atque omnia tum *dubia*, tum quæ aliquam Falſitatis ſpeci- I. *Quem ob finem de rebus omnibus primùm dubitavit Carteſius.*

em præſeferunt, ſimul & ſemel rejiciamus. Longo enim uſu obſervavit, non ingenio tardos dumtaxat, & quorum flacceſcit induſtria, à Senſibus decipi, verùm etiam ſedulos, & quos acris diſcendi cupido inceſſit.

II. *Exuenda primo ſunt omnia præjudicia infantiæ.*

Quis enim non deprehendit Homines, in teneris annis, Beſtiarum more, vitam agere, & à *ſenſibilibus* objectis variè percelli? Unde mirum non eſt, ſi in multis hallucinentur, erroreſque adſciſcant, qui fortè ſuccedentibus annis tolli, aut emendari poſſent, niſi præjudicatæ Infantiæ *Opiniones* continuò adeſſent, eaſque nimium pertinaciter foverent, ac tuerentur. Nam licet indefeſſo ſtudio, veritatem ſectemur, operamque demus manifeſtos *Errores* corrigendi; quia tamen nonnulli adhuc Mentibus noſtris inhærent, & eis indiſſolubili pene vinculo alligantur, fit, ut ab *iis* nunquam immunes evadamus, & ad vitæ terminum nobiſcum perſeverent. Quare omnibus præjudiciis amoliendis, optimum judicavit *Carteſius*, ad genuinam Scientiam adipiſcendam, judicium ſuſpendere, nullique Rei aſſentiri, donec novum examen accedat, quo Mens purior evadat, & certi ac veri cognitione, ſibi undequaque cohærente, exornari poſſit. Nam ut præclarè animadvertit *Theodoretus lib.* 1°. *de cur. Græc. Aff.* "Quo pacto fidem habeat novis ac recenti-"bus Rebus, qui priùs ex Animo non depu-"lerit, quæ male ſibi inſita fuerunt?

III. *Per Dubitationem à Senſuum erroribus cavetur.*

Etsi hæc Regula ad res quaſcumque, quas nondum exploratas habemus, & de quibus aliqua incertitudinis ſuſpicio adeſt, extendi poſſit? ea tamen potiſſimum in iis, quæ Senſum movent, rejiciendis uſui eſt; utpote quæ præ reliquis, errandi *cauſas* ſuggerunt,

runt, occaſionemque præbent à vero declinandi. Quicquid enim eatenus ut maximè verum *Philoſophus* admiſerat, vel à Senſibus, vel per Senſus acceperat: cùm verò eos nonnunquam fallere deprehendiſſet, prudentiæ eſſe duxit, nunquam illis planè confidere, quæ nos vel ſemel deceperunt. Quia non neceſſum eſt, ut Senſuum fidem repudiemus, errorem in his continuò deprehendamus; ſed ſufficit, ſi falſitatis ſuſpecti ſint, quemadmodum inſinuat *Philoſophus* Reſponſione quinta ad *Gaſſendum*: Ut probes Senſuum fidem mihi non debere eſſe ſuſpectam, dicis, Etſi aliquando non utens Oculo viſus ſim ea ſentire, quæ ſine Oculo non ſentiuntur, me tamen non ſemper eſſe expertum eandem falſitatem tanquam ſi non ſufficiat ad dubitandum, quòd Errorem aliquando deprehenderimus, & tanquam ſi fieri poſſet, ut ſemper, quoties fallimur, adverterimus nos falli, cùm è contra in hoc *Error* conſiſtat, quòd à nobis ſub ſpecie erroris non advertatur.

IV. *Quòd maximè rationi conſentaneum eſt à Dubitatione ordiri.*

ENIMVERO quid magis Rationi convenit, quàm ab iis *judicium* cohibere, quæ nos in Errorem aliquando induxerunt, & ſuſpecta habere Senſuum teſtimonia, quæ vel ſemel impoſturam fecerunt? En Philoſophi textus *Artic.* 1^3. *primæ partis principiorum*: Quoniam Infantes nati ſumus, & varia de rebus ſenſibilibus judicia prius tulimus, quàm integrum noſtræ Rationis uſum haberemus; multis præjudiciis à veri cognitione avertimur: quibus non aliter videmur poſſe liberari, quàm ſi ſemel in vita, de iis omnibus ſtudeamus dubitare, in quibus vel minimam incertitudinis ſuſpicionem reperiemus.

NON

V.

Mens dubitando se à præjudiciis liberat.

Non temerè igitur *Carteſius* Dubitationem primis Philoſophiæ fundamentis prætulit: nam cùm illa nuda ſit, ac ſimplex judicii ſuſpenſio, ſeu potiùs eorum recognitio, quæ ab incunabulis, ac juvenili ætate judicavimus, ut rectiùs poſtmodum percepta, animo complectamur, & contraria rejiciamus: per *eam* dubias ac falſas ſuas *Opiniones* ſuſtulit, viamq; ſtravit, ad principia vulgò receptis certiora invenienda. Quia Dubitatio, (nequis ſibi imponat) non *Rerum*, quæ conſiderantur, intuitu inſtituitur: ſed ipſarum dubitandi Rationum; ſic ut mentis dubitantis Affectio eſt, non autem rei dubiæ, quæ objicitur. Non enim quis ex eo quòd dubitat, Rerum omnium penitus ignarus eſt, imo earum, de quibus controvertitur, Ideas habet, ſive illa concipit, quorum Imagines in ejus mente verſantur. Aliàs dubitabundus hanc Quæſtionem, *An Sol luminis effectrix cauſa ſit*, proponens, ſequeretur, quòd nullam de Sole cogitationem haberet, aut ipſum, quod cottidie oculis contemplatur, lumen, fugeret. Dum de *Rebus* omnibus igitur ambigitur, non ita fit de illis ſubtractio, ut nullus rei propoſitæ conceptus ſubeat, aut quaſi cauſæ, propter quas Dubitatio inſtituitur, ignotæ ſint; nimis enim præpoſtera foret hæc procedendi ratio, & parum Philoſophicæ induſtriæ congrua. Sed *Dubitatio* confuſam rei notitiam ſupponit Menti inhærentem, verùm citra aſſenſum, aut diſſenſum, quandoquidem Judicii ſuſpenſio utriuſque expers eſt, & tam Affirmationem quàm negationem æquo jure repudiat.

Unde

UNDE hanc generalem Dubitationem haud malè quis hoc modo deſcripſerit: Univerſalem quandam eorum omnium, quæ Infantiæ & juventutis tempore judicavimus, ad examen revocationem, ut quæ rectæ Rationi conſona ſunt, reſumantur, & adverſa ablegentur. VI. *Dubitationis in genere deſcriptio.*

EAM autem Philoſophi mentem in prima Meditatione, ex iis, quibus utitur, verbis, clarè elici poteſt. Quippe in meditatione prima, ut ſe à præconceptis opinionibus ſecurum ſe præſtet, *falſas*, inquit, *imaginariaſque fingam.* Ut à rebus, quæ occurrunt decipi poſſe ſe ingerat, *ſupponam igitur non optimum Deum fontem veritatis, ſed Genium aliquem malignum.* Ut omnia corpora ab oculis ſubmoveat, *Putabo Cœlum, Aerem*, &c. Ut ſeipſum abſque oculis, manibus, carne, & ſanguine tueatur: *Conſiderabo meipſum, tanquàm manus non habentem*, &c. Quibus loquendi modis, ſat aperit, quòd etiamſi omnes res illas contempletur, ac earum Ideas habeat; Judicium tamen ſuſpendere affectat, donec per *Difficultatum* propoſitarum attentionem, veris tantummodo poſtmodùm aſſentiatur, & demum ad profundioris Scientiæ penetralia perveniat. Quippe mera hujuſmodi *fictio*, non Judicii partem facit, ſed ei opitulatur ac inſervit, non quicquam aſſerit, aut negat, ſed cum attentione, nihil concludendo, nihil componendo defixa manet. Sic non erit neceſſe, quemadmodum animadvertit *Philoſophus* initio primæ Meditationis, ut omnes opiniones falſas eſſe oſtendatur, quod nemo fortè unquam aſſequi poſſet; ſed quia Ratio perſuadet, non minùs accuratè ab iis, quæ non plane certa ſunt atque indu- VII. *Dubitatio non ad res, ſed ad dubitandi rationes refertur.*

indubitata, quàm ab apertè falſis aſſenſionem eſſe cohibendam, ſatis erit ad omnes rejiciendas, ſi aliqua dubitandi ratio, in unaquaque reperiatur.

VIII. *Tres ſunt Dubitationis utilitates.*

TRES ſunt hujus Dubitationis *utilitates*, quas hìc obſervare juvat, contra quoſdam Calumniatores, qui eam tanquam ſupervacaneam exſibilant, veluti Hominis delirantis, aut ſomniantis figmentum obtrudunt.

IX. *Prima, ad præjudicatas Opiniones Infantiæ amovendas.*

PRIMA eſt, quòd cùm humanus Intellectus, non tabula raſa ſit, ſicuti *Ariſtoteles* imaginatus eſt; ſed variarum Opinionum & Errorum coloribus, ut ita dicam, imbutus, qui in eum ab ineunte ætate irrepſerunt; neceſſarium videtur, ut qui ad Scientiam aſpirant, & ſolidam certamque rerum Cognitionem meditantur, ab univerſali omnium *Errorum* & *Opinionum* abdicatione incipiant, & illa dediſçunt, quæ non recta ſatis judicii regula admiſcere. Obeſt quoque *iis*, qui diſcere volunt, magiſtrorum authoritas, quorum inventa ſine ullo judicio probant, & ab aliis pecudum ritu ducuntur Quoniam infirmiſſimo ætatis tempore, ut diſſerit *Cicero Lib.* 4. *Ac. q.* aut Amico cuidam obſecuti, aut unâ alicujus, quem primum audierunt, oratione capti de rebus incognitis judicant; & ad quamcumque ſunt Diſciplinam quaſi tempeſtate delati, ad eam tanquam ad ſaxum adhæreſcunt. Quippe *Spurii* illi, & furtivè inducti conceptus, ſinceram Veritatis Lucem obfuſcant, & eam à legitimo ſuo Domicilio expellunt.

X. *Secunda utilitas, in mente formanda circa Veri electionem.*

SECUNDO, prodeſt hæc generalis præjudiciorum abdicatio, iis qui nondum philoſophi, ſed ordine philoſophaturi, firmi aliquid reperire aggrediuntur; quique alia fundamenta

damenta non habent, quàm quæ à priſcis hauſimus. Per *Dubitationem* enim Animus purgatur, & diſſipata immaturæ ætatis caligine, Veritas Mentibus noſtris affulget; Ut declarat *Carteſius* in Synopſi primæ meditationis, his verbis: In prima (Meditatione) cauſæ exponuntur, propter quas, de Rebus omnibus, præſertim *Materialibus*, poſſumus dubitare; quamdiu ſcilicet non habemus alia Scientiarum fundamenta, quàm ea, quæ antehac habuimus. Etſi autem iſtius tantæ Dubitationis Utilitas prima fronte non appareat, eſt tamen in eo maxima, quòd ab omnibus præjudiciis nos liberet, viamque facillimam ſternat ad Mentem à Senſibus abducendam: Ac denique efficiat, ut de iis, quæ poſteà vera eſſe comperiemus, non amplius dubitare poſſimus. Seponuntur igitur omnia *præjudicia*, & Mens ab Opinionum ſordibus diluitur, uſque dum inconcuſſa, & indubitabilia principia prodeant, & quid verum, quid falſum ſit, poſtmodum innoteſcat.

XI. *Tertio inſervit Dubitatio ad diſtinguendas materiales à Spiritualibus Rebus.*

TERTIA Dubitationis Utilitas eſt, ut per eam Res Intellectuales à Corporalibus diſcernamus, & citra Fidei auxilium, etiam illa, quæ Senſus noſtros fugiunt, liquidò apprehendamus. Nam cùm per eam, omnia Scepticorum argumenta, iis proponantur, qui eorum ſolvendorum adhuc rudes ſunt, habitum priori contrarium inde contrahunt, omnia Corporum ſimulacra, ac extenſionis, figuræ, ſpatii, motus, ſpecies, à conceptibus ſuis removendi. Hominum enim plurimi, *Infantiæ* præjudiciis mancipati, omnia ſub materiali forma percipiunt, nec quicquam poſſunt niſi coloribus & pigmentis adornatum effingere. Ex eorum numero

numero quondam *Auguſtinus* fuit, dum unicuique rei magnitudinem aſſignabat, & quicquid quærebat, ſub quibuſdam lineamentis, adinveniendum eſſe arbitrabatur: "Et quo-
"niam cùm de Deo meo cogitare vellem,
"cogitare niſi moles corporum non noveram:
"Neque enim videbatur mihi eſſe quicquam,
"quod tale non eſſet, ea maxima & prope
"ſola cauſa erat inevitabilis erroris mei.

XIII. *Carteſiana methodus ab omnibus in Veritatis inveſtigatione ſequenda.*

AT huic hallucinandi principio opportunè *Carteſiana Methodus* ſuccurrit, qua quicquid materiale eſt, aut cum Materia affinitatem habet removemus; ad eam ſic attendentes, ac ſi nihil eſſet, aut in Natura Rerum nunquam aliquid extitiſſet. Adeo ut, ad rerum Spiritualium cognitionem, materia, aut corpore non uramur, nec ullatenus nitamur, dum in Mentis humanæ, aut Dei contemplatione fiſtimur; Ac proinde ſicuti paſſim experimur, eos magis *ferventes*, majorique zelo, in Dei cultum ferri, qui à Religione erronea tranſmigrant, quam qui à teneris annis, in vera enutriti ſunt. Sic hi ſinceriùs *Veritatem* inquirunt, ac de Rebus Philoſophicis certiores evadunt, qui antea dubitaverint, & falſa reputaverint, quæ clare non intuebantur. Quare cùm nihil magis ad firmam *Rerum* cognitionem aſſequendam conducat, quàm ut de rebus omnibus, præſertim corporeis, dubitare aſſueſcamus; oprandum eſt, ut *Lectores* non modò breve illud tempus, quod ad primam Carteſii Meditationem evolvendam requiritur, impendant, ſed menſes aliquot, vel ſaltem hebdomadas, in iis de quibus tractat, conſiderandis, antequam ad alia progrediantur: Quippe ita fiet, ut longe majorem inde fructum capiant, & firmiorem de rebus Incorporeis notitiam nanciſcantur.

HINC

HINC evidenter concluditur, *Carteſium* nequaquam pro *Sceptico* haberi poſſe; ſive eorum morem imitari, qui omnia in dubium revocant, & nullum alium finem, quam *Dubitationem* ſibi præfigunt: Sed illum tantummodò dubitaſſe, quatenus explosis Infantiæ, & rudis adhuc ætatis præconceptis Opinionibus, ſolida demum & inconcuſſa Scientiarum fundamenta inveniret; quæ, hoc modo, ſi quæ eſſent, effugere non poſſent. Dubitavit igitur *Philoſophus*, ſed ut à Dubitatione ſecurum ſe tueretur; Judicium diſtulit, at nullatenus abſtulit; recognovit quæ antea hauſerat, ut poſt debitum examen, ad profundioris Scientiæ *firmitatem* pertingeret. Quare an Vir Clariſſimus Sectionem ſuam decimam quintam bene inceperit, dum ait: *Jam verò cum qua levitate ſuſcepta ſit veterum Scepticorum diſciplina demonſtraverimus, nihil opinor opus eſt, ut ipſam eandem levitatem propter unum Carteſium nunc iterum reprehendamus*, prudens Lector Judex eſto. XIII. *Immeritò Carteſius inter Sceptico numeratur.*

Caput Quintum.

Rectè Carteſius, ob Errores, quibus Senſus ſunt obnoxii, de Rebus Materialibus præſertim particularibus dubitare aggreſſus eſt.

CARTESIO, dum ſolidam Sapientiam meditaretur, & indubitata Veritatis principia cogitaret, placuit *Priſcorum* veſtigia relinquere, atque ab eorum judicio ſe ſubtrahere, I. *Senſus paſſim ad Scientiam ducere exiſtimatur.*

trahere, quos tantoperè Antiquitas, ſed immeritò venerata eſt. Quippe nihil familiarius tum Ignaros, tum Eruditos, quàm admittere *Senſus* naturalis cognitionis eſſe initia: imo ſolos eſſe, qui *Animæ Nuntiorum* munere fungantur, ea quæ foris geruntur, impertiendo. Enimvero philoſophia, quam experimentalem vocant, & quæ hiſce diebus maximè excolitur, tota penè Senſibus innititur, & à Phænomenis, quæ per eos eliciuntur, certitudinem ac dignitatem ſuam haurit. Eum inania meditari neceſſum eſt, qui iis relictis, abſtractas Notiones venatur, & ad vana, quæ nihil ſolidi habent, abripi.

II. *Senſus non res etiam materiales detegere queunt.*

VERUM, quantum eſt illud, quod à Senſibus ad Animum noſtrum demigrat? Quid illud, quod eorum ope edocemur; præter Rerum umbras, & externas earum Imagines? Illi, qui Senſus conſulunt, eorumq; miniſterio utuntur, Hominibus in *Platonis* antro incluſis, meritò ſimiles reputandi ſunt, qui externorum Objectorum ſimulacra duntaxat intuentur, atque ea tantum, quæ arcto caveæ ſuæ foramini objiciuntur, deprehendunt. Latiùs Mundus porrigitur, quàm ut à Senſibus detegi queat, & parum de ejus amplitudine diſcernere valemus, ſi eam per Ideam, quam de illo habemus, metiamur. Hinc ob iſtam Senſuum noſtrorum imbecillitatem & anguſtiam oritur, ut *infinita* propemodum, quæ nos circumſtant Animalia, diu ignoraverimus, quæ nunc tandem Microſcopio ope deprehenſa ſunt, ac explorata. Ingens nihilominus aliorum numerus ſupereſt, quæ inventa jam perſpicilla pervadere non valent, nec illa unquam in lucem proditura eſſe, ulla ſpes affulget.

HÆC

Hæc excusanda foret Sensuum nostrorum obtuties, nec nisi injuriâ illis vitio verteretur, quòd infirmi sint, & certis limitibus coarctentur, ni *Fallaces* essent, & suis nuntiis nos in Errorem sæpiùs protraherent, hoc est, ni Mentibus nostris occasionem præberent, seipsis imponendi. Fateor equidem nos nequaquam à *Sensibus* circumscribi, ut loquuntur *Jurisconsulti*, dum circa externas objectorum imagines versantur, & eas prout in seipsis sunt, nobis repræsentant; sed solum dum judicium ferimus, res externas illis apparentiis esse conformes. Exempli causa, Lumen quis contemplatur, aut Calorem sentit, in hoc nulla fraus inesse potest, cùm verò utrumq; percipiat, sed tum demum eluditur, quando judicat *Calorem*, qui sentitur, extra Animam esse, quæ illum percipit. Hinc verè dixit Augustinus: Sensus non est falsus internuntius, sed falsus judex.

III. *Sensus occasionem menti præbent seipsam fallendi.*

Quia igitur Sensus deceptionis *causas*, & Materiam suggerunt, & ad ipsis assentiendum sponte inclinamur, illorum repræsentationibus fallacia meritò adscribitur, atque ideò erroneorum Nuntiorum nomen obtinent. Nam quis non experitur à Sensibus proficisci, quòd *Remus*, qui integer est, Aquæ immersus, fractus appareat? Quòd *Turris* quadrangula, de longinquo cylindri rotunditatem simulet? Quòd *poma*, per vitrum aspicientibus majora videantur? Quod *Semitæ Parallelæ*, ut concurrentes ad certam distantiam exhibeantur? Non Visus modò, sed & Auditus, quantumvis Disciplinæ Sensus reputetur, fallaciæ reus est: Nam in aurem percussus *sonum* sibi tanquam à foris venientem percipere videtur. Siquis digito *aurem* obturet, tremulum quoddam murmur,

IV. *Fallacia Sensus multis exemplis ostenditur.*

quod exteriùs advenire arbitratur, audit. Qui cœleſtis murmuris, & *Plauſtri* ſtrepitum auribus excipere aſſuevit, tonitru reboante, plauſtri ſonitum audire cogitat. Sic Tactus captionis arguitur, quando pavimenta manibus aſperiora, pedibus leviora putantur, & in Lavacris idem balneum ferventiſſimum primò, temperatiſſimum ſubinde exiſtimatur. Adeo ut nullus ſit Senſus, qui de fallacia non reprehendatur, & nobis non aliquando illudat.

V. *Hinc Senſationes pro rerum principiis Carteſius admittere nolnit.*

MERITO igitur Carteſius ſedulò Philoſophaturus, & indubitata principia inquiſiturus, *præjudicia* tanquam inveniendæ Veritatis impedimenta abegit, & ſe iis Opinionibus exuit, quas antea hauſerat. Nam cùm quicquid priùs verum admiſerat; *Senſions* acceptum referret & perfectiſſima illi viſa eſt perceptio, quæ illorum fidei inniteretur, non potuit non ipſis poſtmodum diffidere, ubi manifeſtos eorum Errores detexit, longoque uſu expertus eſt, Rerum loco, nonniſi umbras Mentibus objicere. Admonet quippe Philoſophica Prudentia, ne *iis* fidem habeamus, qui vel ſemel impoſturam fecêre, & qui Rectorum vicem obeuntes, nos ſperata Veritate fruſtrantur. Quare cùm *Carteſius* talia tunc inquireret Principia, quæ comparandæ Scientiæ famularentur, pro talibus Senſationes ſuas habere non potuit, à quibus tam ſæpe fuerat deluſus.

VI. *Excuſantur Senſus ab erroribus.*

SICCINE, inquies, omnibus te Senſibus deſtituis, & nihil certum reputas, quod per eos demonſtratur? Quis Judicio tuo ſubſcribet? Nam licet *Res*, circa quas Senſus occupantur, vel ob ſuam parvitatem, aut nimiam ab organis diſtantiam aſſequi non valeant, non tamen eorum fides in dubium vocanda eſt:

ſed

sed eorum imbecillitas potiùs incusanda, quæ talis est, ut non nisi justæ magnitudinis Corpora, & satis vicina percipi sinat. Quis credat te decipi, dum hæc exaras, dum digitis *calamum* premis, dum ex eo stillare atramentum cernis, & *chartam* nigrore afficere? Qua ratione efficies, ut dubitem an sit Sol, Terra, Cœlum, an Corpus, Manus, Oculos habeam?

VII. *Eadem somniantibus, quæ vigilibus occurrunt.*

QUIDNI hæc omnia prudenti etiam Viro in dubium veniant? nam cùm is Homo sit, & se corporeis Affectionibus subjectum agnoscat, agnoscit quoque ei suetum esse noctu dormire, atque eadem *somno* oppressum pati, quæ sanus & sui compos experitur. Omnibus penè Hominibus commune est, iis per somnum inquietari, quæ *vigilantes* & soluti per dies exagitarunt; quemadmodum observavit *Claudianus Lib.* 3. Præfationis.

Judicibus lites, aurigæ somnia currus,
Vanaque nocturnis meta cavetur equis.
Gaudet amans furto: permutat Navita Merces:
Et vigil elapsas quærit avarus opes.
Blandaque largitur frustra sitientibus ægris,
Irriguus gelido pocula fonte sopor.
Me quoque musarum studium sub nocte silenti
Artibus innumeris sollicitare solet.

Si igitur non aliæ *Animo* cogitationes, resoluto in somnum corpore obversantur, quàm diurnæ actiones aut munia, qui certò decernam me nunc non illudi? Unde mihi illa securitas, non somniare, dum vigilem me esse affirmo? Respondet Vir Eximius Sectione decima quinta: *Quæ eadem est de somniantibus cavillatio, quod quamquam vigilemus an dormiamus*

miamus, inter ſomniandum judicare non poſſumus; hæc tamen dum ſcribo, me vigilare certo novi, neque an dormiam dubitare poſſum.

Non! faterer equidem *cuique* Mortalium à Natura conceſſum eſſe, Vigiliam à Somno ſecernere, & certis indiciis noſſe an expergiſcatur, aut ſomno ſopitus inter ſtrata decumbat, niſi interveniret Memoria, ſuggereretque, iiſdem cogitationibus me ſæpenumero deceptum fuiſſe, quibus dum hæc ſcribo, agitor. Quoties inter dormiendum me ſcribere exiſtimavi? Quoties cum familiaribus colloqui? Quoties Amicum amplecti? Quoties, uti habet Virgilius 2. Æneid.

In ſomnis ecce ante oculos mœſtiſſimus Hector
Viſus adeſſe mihi, &c.

Imo quoties contendi, & velut mecum altercatus ſum, me non in lecto jacere, non ſomniare, Rem oblatam Oculis intueri, præſentia manibus attingere? Quæ omnia adeò evidenter diſtinctéque Menti offerebantur, ut ſomno poſtmodum abrupto, in ea imaginatione permanerem, nec niſi poſt tempus, Somnia fuiſſe, mihi perſuadere valerem.

VIII. *Difficile eſt ſomnium à Vigilia diſtinguere.*

Unde cum *Socrates* apud *Platonem* quæſiiſſet, quo argumento demonſtrari poſſet, ſi quis roget, utrum hoc tempore dormiamus, & quicquid cogitemus ſomniemus? an vigilemus, & revera inter nos diſſeramus? Reſpondet *Theætetus*: " Omnia enim tanquam " retro commeantia ſe mutuò conſequuntur. " Nam eo, quo nunc, modo diſputabamus, " nihil impedit, quominus dicamus, nos " quaſi in ſomnio quodam diſcere: Nec certè " inepta eſt ſomniorum ſimilitudo iſtis ſer- " monibus, quemadmodum cùm per inſom-

nia

" nia ſomnia videmur commemorare. Cùm igitur à Somno Vigiliam diſtinguere nequeamus,& pari modo Res in utroque ſtatu, nobis objiciantur, quî de veritate Rerum, quas nobis Senſus exhibent, conſtabit? Quis ſpondebit *nos* non ſoporari, dum vigiles ac vegetos eſſe arbitramur? Quo docente diſcemus inſomnes potius objecta intueri, tactuque percipere, quàm dum ſomno graves, eadem agere videmur? Hæc ſeriò meditanti manifeſtum fiet, Dubia eſſe omnia, quæ nobis per Senſus ingeruntur, ac proinde ad Scientiam, ad quam aſpirabat *Carteſius*, eos prorſus evanidos eſſe ac inutiles.

IX. *Imo utriuſque Veritas æque evidens eſt.*

IMO animadvertit *Philoſophus* in Diſſertatione de Methodo,ob Somniorum errores, non debere cogitationes,quas vigilantes habemus, debere in dubium vocari. Nam ſiquis *Geometra*, exempli cauſa, novam aliquam Demonſtrationem inveniret, ejus profecto Somnus non impediret,quominus illa vera eſſet. Quantum autem ad errorem Somniis noſtris familiarem, illum nempe qui in eo conſiſtit, quòd varia nobis objecta repræſentet, eodem planè modo, quo ipſa nobis à Senſibus externis inter vigilandum exhibentur, non in eo nobis obſtrit, quòd occaſionem det ejuſmodi Ideis, quas à Senſibus vel accipimus, vel accipere putamus, parum credendi: poſſunt enim illæ etiam dum vigilamus non rarò nos fallere; ut cum ii qui morbo regio laborant, omnia colore flavo infecta cernunt; aut cum nobis Aſtra, vel alia corpora valde remota, multò minora, quam ſint apparent. Omnia enim ſive vigilemus, ſive dormiamus, ſolam evidentiam Rationis judicia noſtra ſequi debent. Hæc Philoſophus.

X. *Objicitur ea quæ oculis obversantur non posse in dubium vocari.*

Tantam inter Vigiliam & Somnum affinitatem Vir eruditissimus non agnoscit, ac proinde inanem esse Cartesii simulationem opinatur, nec ullatenus sibi persuadere valet, quî hac fictione, præjudicatæ Opiniones è mentibus nostris eluantur: *Quenquamne à se extorquere censuit* (Cartesius) *ut Solem nunquam lucere, se corpus nullum habere, totum parte majus esse ex animo opinetur? Cum enim ipso judice insanus sit, qui ista omnia incerta diceret, qui ea falsa dicunt, omnium certe qui insaniunt, desperatissimos judicare deberet.*

XI. *In Rebus ad vitæ usum pertinentibus, probabilitas sufficit ut quis eas amplectatur.*

Quamvis his verbis, Cartesio adversari videatur, illi tamen maximè favet, & ut ita dicam, illius interpres haberi potest. Observat enim *Philosophus* multis in locis, maximum interjacere discrimen, inter Vitæ actiones, & Veritatis inquisitionem: cùm una ad Theoriam, altera ad praxim tendat, quæ in communi Hominum vita exercenda est, & sæpiùs absque manifesta certitudinis exploratione. Nam quantum ad usum Vitæ, ut habet Philosophi textus prima parte princip. Artic. 3. quia persæpe rerum agendarum Occasio præteriret, antequam nos dubiis nostris exsolvere possumus, non raro quod tantùm est verisimile cogimur amplecti: Vel etiam interdum, etsi è duobus unum altero verisimilius non appareat, alterutrum tamen eligere. Quicquid enim probabile est, ad Vitæ communis commercium spectans, sæpe illud sequi præcepit Cartesius, licet exacta probatio non præcesserit. *Et de talibus nemo unquam sanæ mentis dubitavit.*

XII. *Certitudo autem in iis, quæ ad Veritatem spectant.*

Cum verò de indubitata Animi certitudine agitur, is certè plane insanus esset, qui fidem Sensibus haberet, & vanam non censeret,

ferret, quam nobis de rebus Opinionem ingenerant. Nam licet Natura me, utpote ex Mente & Corpore constantem doceat, ea quidem refugere, quæ *Doloris* sensum inferunt; illa autem prosequi, quæ sensum *Voluptatis*, & talia: Verùm, non apparet illam præterea nos admonere, ut quicquam ex istis Sensuum perceptionibus, sine prævio Intellectus examine, de rebus extra nos positis concludamus, quia de his verum nosse, non ad Compositum pertinere videtur, sed ad Mentem solam. Tria hac de re exempla profert Philosophus Meditatione Sexta.

XIII. *Tribus exemplis ostenditur Sensus non vera exhibere; primo.*

PRIMUM, quamvis Stella non magis oculum meum, quam *Ignis* exiguæ facis afficiat; nulla tamen in eo realis, sive positiva propensio est ad credendum illum non esse majorem; sed sine ratione ab ineunte ætate judicari.

XIV. *Secundo exemplo.*

SECUNDUM, quamvis ad Ignem accedens sentio *Calorem*, ut etiam ad eum nimis prope accedens sentio *Dolorem*, nulla profectò ratio est, quæ suadeat in Igne esse aliquid simile isti Calori: ut neque etiam isti *Dolori*. sed tantummodò in eo aliquid esse, quodcumque demum sit; quod in nobis Sensum caloris & doloris efficiat.

XV. *Tertio exemplo.*

TERTIUM, etsi in aliquo Spatio nihil sit, quod Sensus moveat, non ideo sequitur, in eo nullum esse Corpus; sed video in his aliisque permultis ordinem Naturæ pervertere esse assuetum, qui nempe Sensuum perceptionibus, quæ propriè tantùm à Natura datæ sunt, ad Menti significandum, quænam Composito, cujus pars est, commoda sint, vel incommoda, & eatenus sint satis claræ & distinctæ, utor tanquam Regulis certis ad

immediatè dignoſcendum, quænam ſint Corporum extra nos poſitorum eſſentia. De qua tamen nihil niſi valde obſcure & confuſè ſignificant.

XVI. *Cum errori ſint Senſus obnoxii, non eis fides habenda eſt.*

Cum igitur Senſus ſuſpecti ſint nuntii, & non rarò credulos in errorem inducant, ſuadet Ratio, ut aſſenſum cohibeamus, donec alia quædam certiora detegantur, & innoteſcant. Quæ autem illa ſint, in ſequentibus aperientur.

Caput Sextum.

Qua ratione, Carteſius Res generales, & Mathematicas Veritates in dubium vocavit.

I. *Quid movit Carteſium ad vocandum in dubium generales rerum affectiones.*

Postquam Carteſio neceſſarium fuit, Opiniones Senſibus innixas evertere, ac oſtendere *Scientiam*, quam meditabatur, debilibus his fulcris nullatenus poſſe ſuperſtrui; *Generalium* quoque Rerum abdicationem cogitavit, eiſque aſſenſum denegavit, quamdiu inconcuſſa fundamenta inveſtigaret, & ad inexpugnabilem Sapientiam pervenire moliretur. Quippe quum Scientia ſtabili fundamento innitatur, & certam ac evidentem rationem exigat, dignitate ſua privatur; & in Opinionem degenerat, ubi imbecillis eſt ratio, aut objectum, quod contemplatur, non niſi confuſam ſui ſpeciem exhibet. Sic licet *Generalia* Rerum attributa Mentibus noſtris occurrant, & eas ſuis, ut ita loquar, coloribus afficiant; nam quis Rei *Corporeæ* ideam, prout

quid

quid eſt tribus dimenſionibus conſtans; ſive prout Res eſt, in longum, latum, & profundum extenſa, in mente verſari non experimur? Quis non clarè percipit *Figuram* in genere eſſe Rerum extenſarum extremitatem? Quis non Corporum *magnitudinem*, tam continuam, quàm diſcretam intelligit? An aliquem integræ mentis *Tempus* fugit, per quod durat? & *ſitum*, quo materiæ partes in ordinem rediguntur?

H. *Poſſunt omnia attributa in dubium vocari.*

HÆC tamen quamvis communia, & omnibus Hominibus familiaria, pro *dubiis* reputari poſſunt, ubi de inconcuſſa certitudine comparanda agitur. Nam cùm videamus nos in iis, quæ certiſſima videbantur, fuiſſe ſæpiſſime deceptos, & ea pro veris recepiſſe, quæ facto poſtmodum examine, falſa eſſe deprehendimus, naturali inſtinctu admonemur, ut dubia ſaltem ea conſideremus, & de eorum veritate ambigamus, quamdiu nondum certiora, quàm quæ ex teneræ ætatis præjudiciis, Præceptorum placitis, Affectuum propenſionibus *fundamenta* hauſimus. Præterea, cùm in Mentem Dei alicujus Omnipotentis cogitatio venit, qui pro ſuo arbitratu, aut ob alias rationes, quas ignoramus, nos ejus naturæ creaverit, ut in iis etiam, quæ nobis evidentiſſima videntur, fallamur, videmur de generalibus Rerum Attributis, æquè ac de reliquis dubitare.

III. *An quis poſſit naturas univerſales omnes abdicare.*

VIR Clariſſimus eadem ſectione 15. factu impoſſibile eſſe arbitratur, ut quis omnibus notionibus ſe exuat, & ad tempus dubias falſaſque exiſtimet. Verùm, priuſquam illud probatione manifeſtum reddat, ambigit ipſe, ſerióne, & reipſa, an joco dumtaxat, & voce tenus de omnibus dubitaverit Carteſius. Si ſeriò,

seriò, *sint autem*, inquit, *validæ rationes, ob quas de omnibus dubitari vellet Cartesius, an serio itaq; dubitaverit, Sôlne sit, Cælum, Terra; habeat ipse caput, oculos, manus?* Huic suæ interrogationi Cartesii verbis alicubi ex ejus Meditationibus desumptis, respondet, *nequaquam, neque enim de iis quispiam sanæ Mentis unquam seriò dubitavit.*

IV. *Distinguendæ sunt Vitæ actiones, à Veritatis investigatione.*

Optime! & quid naturali rationi magis consonum reponi potest? Quoniam ut Capite præcedenti observatum est, insulsum omnino videtur, & rationi planè extraneum, ubi de *Vitæ* actionibus quæstio est, Sensibus non credere, & suspectos falsitatis habere tam fidos humanarum actionum directores. At verò ubi de *Veritatis* inquisitione agitur, dico de omnibus dubitari posse, imo pro falsis existimari, ad alia animadvertendum, quæ quia hoc pacto rejici non possunt, hoc ipso esse certiora demonstratur. Quoties de cogitationum mearum Veritate, securum me esse putavi, dum *Solem* intuitus, illum non duorum pedum magnitudinem excedere judicabam? Dum *Cælum* fornicis instar extensum, *Terram* in planitiem porrectam percipiebam? Quæ postmodùm invictis Demonstrationibus, concepribus meis dissona & adversa inveni. Quidni in iis, quæ distinctissimè contemplari videor, pari ritu decipiar, & dum *Corporis* Naturam in genere, ac ejus Affectiones considero, dum oculos in *Solem* dirigo, dum caput, dum manus me habere affirmo, fallar, & nihil nisi umbra, & earum omnium Rerum simulacra Menti obversentur? Quandoquidem ea, quæ Vigilanti objici apparent, omnino similia noctu Dormienti, & inter strata decumbenti sæpè occurrant. Seriò igitur, &

non

non ob *levitatem*, & *inconsideratiam*, de omnibus Cartesius dubium movit; sed propter *meditatas & validas rationes*, quas anteà breviter perstrinximus.

V.

Seriò rerum omnium abdicationem Cartesius cogitavit.

AT quid *si joco tantum & fictione*, subjicit Vir Eximius, *dubitandum esse velit, quid quæso profuit? cum inani ista simulatione nullæ omnino præjudicatæ opiniones eluuntur? Atque adeò nisi dubitandi principiis nihil eorum revera sustulit, & nisi sustulerit, certæ adhuc & indubitatæ supersunt, quas scilicet nullis rationibus, etiamsi omnibus viribus id pnum ipse conatus sit, tollendas statuat.* Miror prudentem Doctorem fingere potuisse *Philosophum* per jocum, & nomine tenus, Res omnes in dubium eruxisse, cùm ipse prorsus contrarium in fine Meditationis primæ asserat his verbis: *Tandem cogor fateri, nihil esse ex iis, quæ olim vera putabam, de quo non liceat dubitare, idque non per inconsideratiam & levitatem; sed propter validas & meditatas rationes, ideoque etiam ab iisdem non minus, quam ab apertè falsis accuratè deinceps assensionem esse cohibendam, si quid certi velim invenire.* Quibus verbis, sat apertè ab ea temeritate immunem se reddit, qua *Imprudentes*, & à Ratione aversi, de Rebus, ad quas intellectus non attendit, judicium suspendunt; atque ab illa inconstantia se absolvit, quam vagi, & nulli rei addicti Homines, in actionibus suis præseferunt.

VI.

Sufficit ad dubitandum quòd rationes quæ offeruntur dubiæ sunt.

AT quæ validæ sunt illæ rationes, *inquies*, ob quas *Philosophus* de omnibus dubitare potuit? Paucis dicam: Cùm in Meditatione prima præsertim, non de *Dubitatione* illa, quæ ad Vitæ usum transfertur, ut præmonui, ageret: sed de summa illa, quam Metaphysicam

ficam appellat; satis illi fuit ad judicium suspendendum, si id, quod ejus intellectui objiciebatur, minimam falsitatis suspicionem ingereret: cùm ad Veritates metaphysicè certas investigandas, non major dubiorum, quàm planè falsorum ratio habenda sit. Quemadmodum ipsemet in responsione ad septimas Objectiones testatus est. Eæ enim sunt satis validæ rationes ad cogendum nos ut dubitemus, quæ ipsæ *dubia* sunt, nec proinde retinendæ. Atque *validæ* quidem sunt, quamdiu nullas alias habemus, quæ Dubitationem tollendo, certitudinem inducant. Et quia nullas inveniebat in prima Meditatione, quantumvis conspiceret, & meditaretur, *&c.* idcirco eas, quas habuit ad dubitandum, *validas* esse dixit ac *meditatas*.

VII. *Non Notiones sed Opiniones per dubitationem tolluntur.*

VERUM, quoniam ita Viro Clarissimo aliquatenus placet, detur Cartesium joco, & per lusum de omnibus dubitasse, quid inde mali secuturum esse imaginatur? Quid? inquit, *ista simulatione nullæ præjudicatæ opiniones eluuntur*. Et quibusdam interpositis; *& certæ adhuc & indubitatæ supersunt, quæ scilicet nullis rationibus, etiamsi omnibus viribus id unum ipse conatus est, tollendas fatetur*. Si præjudicatarum Opinionum vocabulo intelligat, Rerum *Ideas*, sive notiones, quæ menti nostræ obversantur, sponte largior, seu seriò, seu joco *Cartesius* præjudiciorum abdicationem moliatur, non posse universas deponi & eluì: Uti Capite præcedenti observatum est. Si verò per præjudicatas Opiniones, omnes illas Opiniones usurpet, quas judicia anteà à nobis facta Animo impressérunt, quid obest, quin omnes exuere possumus, & ab iis tanquam falsis assensionem cohibere? Nam cùm judicare & non

non judicare ad *Voluntatem* pertineat, & illius ſit actio, manifeſtum eſt, eam in poteſtate noſtra eſſe, ac proinde penes nos eſſe, *Opiniones*, quæ talibus judiciis innituntur, eluere, tollere, amoliri. Quandoquidem ut quis præjudicia deponat, nihil aliud requiritur, quàm ut apud ſeipſum proponat, nihil eorum, quæ antea affirmavit, vel negavit, antequam id rurſus ad examen revocarit, affirmare, vel negare, etiamſi intereà eas omnes notiones memoria retineat.

VIII. *Qua ratione licuit Carteſio, de Veritatibus mathematicis dubitare.*

EADEM libertate licuit Carteſio *Mathematicas* Demonſtrationes in dubium trahere, atque illa principia pro inexploratis habere, quæ anteà ut per ſe nota recipiebantur. Id Viris prudentibus peculiare eſt, ut nihil ab Homine extraneum ſibi ineſſe arbitrentur, ac proinde communis imbecillitatis memores, ſibi accidere poſſe credunt, quod aliis contingere cotidiano uſu experiuntur. At cùm nonnullos in *Mathematicis* Demonſtrationibus Carteſius erraſſe comperiſſet, & quædam pro certis & evidentibus admiſiſſe, quæ falſa poſtmodum apparuere: cogitavit ſe quoque in iis falli poſſe, ac ita à Veritate poſſe abduci, dum *duo* & *tria* ſimul addebat, vel *Quadrati* latera numerabat, aut ſi quid aliud facilius effingi poteſt; nam in nobis hanc libertatem eſſe experimur, ut ſemper ab iis credendis, quæ non planè certa ſunt & explorata, abſtinere poſſimus, atque ita cavere, ne unquam erremus.

IX. *Mathematicæ Demonſtrationes non adeo certæ ſunt, ut de illis ambigi non queat.*

ENIMVERO quidni cum ratione dubitaret Philoſophus, cùm plurimæ *Mathematicæ* Demonſtrationes obſcuræ ſint, neque iis conſtent, quæ per ſe nota habentur, & rebus, quæ demonſtrantur, propria. Hinc *Plato* de Republica,

publica, quemadmodum observavit *Patricius Libro primo* in Acrosim. Physic. cap. 12. dicit, Mathematicos somniare circa Quantitatem, & in tractandis suis Demonstrationibus, non scientifice, sed ex quibusdam suppositionibus procedere; quamobrem non vult doctrinam eorum appellare Intelligentiam, aut Scientiam, sed tantum Cogitationem. In quam sententiam multa scribit *Proclus* in primo libro suorum commentariorum in *Euclidem*. Verum tametsi neque *Platonem*, neque *Proclum*, neque alios Philosophos, graves habemus hujus Sententiæ Authores, tamen id per se manifestum sit cuivis, qui vel leviter attigerit eruditum illum Mathematicorum pulverem. Nam si quis secum repræsentet, atq; diligenter consideret demonstrationes *Geometricas*, quæ libris Elementorum *Euclidis* continentur, planè intelliget, eas sic esse effectas, ut ante diximus.

X. *Exempla Demonstrationum Mathematicarum quæ non gignunt Scientiam.*

Ac de multis unum, aut alterum pro tenuam exemplum. Geometer demonstrat *Triangulum* habere tres Angulos æquales duobus rectis propterea quòd Angulus externus, qui efficitur ex latere illius Trianguli producto, sit æqualis duobus Angulis ejusdem Trianguli sibi oppositis. Quis non videt hoc *Medium*, non esse Causam illius passionis, quæ demonstratur? Cùm priùs natura sit *Triangulum* esse, & habere tres Angulos æquales duobus rectis, quàm vel produci latus illius, vel ab eo latere fieri Angulum æqualem duobus internis? Præterea, tale medium habet se omnino per accidens ad illam Passionem; nam sive latus producatur, & fiat Angulus externus, sive non, imo tametsi fingamus productionem illius lateris, affectionemque

Anguli

Anguli externi esse impossibilem, nihilominus tamen illa Passio *Trianguli* inesset; at quid aliud definitur esse Accidens, quàm quòd potest abesse & adesse rei præter ejus corruptionem? Ad hæc illas propositiones; Totum est majus sua parte: Æquales esse lineas, quæ à centro ducuntur ad circumferentiam: Illud latus esse majus, quod Angulo majori opponitur, & id genus alia, quæ crebrò usurpat in demonstrando, in quàm multis Demonstrationibus, eas pro medio adhibet, & inculcat Mathematicus; ut necesse sit ex his Demonstrationibus, quæ constant prædicatis communibus, non gigni perfectam Scientiam.

XI. *Jure merito à Cartesio de Veritatibus mathematicis dubitatur.*

QUARE cùm apparentes sint dumtaxat Mathematicorum Demonstrationes, & earum certitudo non à Rerum natura pendeat, potuit *Cartesius* jure merito illas ut incertas reputare, donec aliunde earum evidentia ipsi innotesceret.

XII. *Cùm Cartesius Deum nondum noverit, dubitare potuit, an non esset deceptor.*

ALIAM addit *Cartesius* suæ Dubitationis causam: Cùm insculptam scilicet Memoriæ haberet & veterem, & omnibus pene Hominibus communem sententiam, *Deum* quendam esse, qui omnia possit, quique cuncta pro beneplacito operatur, & à quo omnia condita sunt; quidni summus ille Rerum & Creator, & Moderator, pro infinita sua agendi libertate effecerit, ut nihil eorum, quæ intueri videmur, verum sit, & in iis decipiamur, quæ nobis notissima apparent. Nam quamvis ad naturam *Trianguli*, exempli gratia, attendentes, concludere cogamur, tres ejus Angulos duobus rectis esse pares, non tamen idem concludere possumus, si ad naturæ nostræ Authorem mentis aciem con-

convertamus, quoniam tunc dubitandi cauſam invenimus, ex eo quòd nullam talem Dei ideam habemus, quæ nos ita afficiat, ut nobis impoſſibile ſit cogitare, Deum eſſe *Deceptorem*. Quippe tam ei facile eſt, qui veram Dei notionem non habet, quam nos non habere jam ſupponimus, cogitare ſuum Authorem Deceptorem eſſe, quàm non eſſe Deceptorem: Quemadmodum illi, qui nullam habet *Trianguli* ideam, æquè facile eſt apprehendere ejus tres Angulos æquales eſſe, quam non eſſe æquales duobus rectis.

XIII. *Et quo minus potens fingeretur, eò magis ab eo decipi poteſt.*

Si urgeas, non neceſſarium fuiſſe, ut Philoſophus, ſe productum fingeret à ſummo numine, à quo falli poſſet. Reſpondeo, quemcumque originis ſuæ Authorem finxerit, ſeu *ſeipſum*, ſeu alium quemcumque, quò minùs potentem ſui Opificem aſſiguet, tanto magis credibile eſt, ſe tam imperfectum eſſe, ut ſemper fallatur, ac proinde de rebus omnibus materialibus, & Senſibilibus, meritò dubitandi rationem *Carteſius* iniit.

Caput

Caput Septimum.

Non frustrà Cartesium, malignum quendam Genium supposuisse, ad Rerum Dubitationem validiùs firmandam.

CUIUS cervicudo Metaphysica, evidentiam postulet, & obscuram instabilemque persuasionem averseur; sat Cartesio videri poterat, ad eam Scientiam, ad quam aspirabat, & præconceptas *Opiniones* amoliretur, & eas ut dubias, quales revera sunt, spectaret. Sed quia in Meditationibus suis, præcipuus ei scopus fuit, de rebus Philosophicis agere, quæ non nisi *certa* cognitione comprehenduntur: necessarium quoque cogitavit eas Falsas fingere, & tanquam imaginandi facultate omnino dependentes. Hac in re, eos imitatus est, qui ut *Baculi* curvitati medeantur, & ad pristinam rectitudinem restituant, illum in partem adversum deflectunt, & in ea aliquamdiu detinent. Sæpe enim *Fictio* proficua est, & ad Veritatem illustrandam, non raro utiliter adhibetur. Sic *Astronomi* Siderum motus considerando, varia in Cœlo simulant, ut Zodiacum, Æquatorem, & alios circulos, quos ignorant, qui supera incolunt. Sic *Geometræ* quasi ludibundi, Figuras contemplantur, novas effingunt, & inventis alias lineas superinducunt.

I. *Fictio scientiæ comparandæ aliquando famulatur.*

II. *Hypotheſibus utuntur Mathematici & Philoſophi.*

Sic *Archimedes* ex pauciſſimis Hypotheſibus, ſtupenda confirmavit de *Sphæra* & *Cylindro*, de *Circuli* dimenſione, de *Lineis Spiralibus*, de Conoidibus & Sphæroidibus, de quadratura Parabolæ, hoc eſt, portionis contentæ à linea recta, & Sectione Rectanguli coni. His quoque adjutus, numerum *Arenæ*, non illius modò, quæ circa Syracuſas, & circa reliquam Siciliam exiſtebat; verùm etiam illius, quæ in univerſa habitabili ſimul & inhabitabili Regione ubique contineri poſſit, determinavit. Sic denique Philoſophi pène omnes, falſas nonnunquam *Hypotheſes* proponunt, dum è quibuſdam aſſumptis principiis, Rerum univerſum ſecundum Naturæ leges paulatim naſci perpendunt: quia ſatis ſe præſtitiſſe arbitrantur, ſi ea, quæ ſupponunt, talia ſint, ut omnibus Naturæ phænomenis reſpondeant.

III. *Ad eum modum finxit Philoſophus eſſe malignum aliquem genium.*

Ad eum modum, *Genium* aliquem inſignis malitiæ *Carteſius* commentus eſt, qui, utpote ſumma poteſtate, & incredibili aſtutia inſtructus, nos præſtigiis illudere nititur, & data opera in fraudem allicere. Quoniam hac ficta Hypotheſi, de Opinionibus noſtris ſecuriùs diffidimus, atque non tantum dubias, ſed & falſas eſſe, citra quodammodò Erroris ſuſpicionem apprehendimus. Nam tali *Genio* activam Fallaciam tribuendo, quî Errores vitare poſſumus? Qua arte, qua induſtria, quibus præſtigiis, nos ab ejus vafritie immunes reddemus, cùm ſciamus illi propoſitum eſſe, nos decipiendi, & ne quid Veri attingamus impediendi. Certum eſt interim, nihil inde periculi, vel erroris, ut loquitur *Carteſius*, ſequuturum, & nobis plus æquo diffidentiæ indulgere non poſſe, quandoquidem

dem non de Rebus credendis, aut agendis Quæstio est; sed de Philosophicis dumtaxat, quæ certa Scientia, & irrefragabili certitudine comprehendi debent.

IV. *Objicitur genii maligni fictionem adversari rerum cognitioni.*

ERUDITISSIMO Theologo hæc Hypothesis non placet, horrere videtur, quòd in ignorantiæ prætextum, Deus deceptor supponatur, summaque ei calliditas attribuatur, à qua omnino secundùm naturam alienus est. *Cùm verò*, inquit eadem Sectione decima quinta, *Deum Opt. Max. malignum quendam Genium esse finxerit, qui datâ operâ in omnibus quantum potuit nos fefellit, itaque fecit ut in iis quæ perfectissimè scire arbitremur, maximè fallamur; hoc fateor neminem ante se finxisse, cùm verò ipse finxerit, è præcipitio se planè misit, atq; ita ruit ut nunquam se postea sustinere possit.* Enimverò quomodo aliqua perfectissimè scire arbitrari possumus, quamdiu omnia dubia esse supponimus, Deceptoremq; adesse fingimus, qui omnem suam industriam in eo ponit, ut nobis imponat, & Res oblatas falsis imaginibus repræsentet.

V. *Potest Deo confusè cognito aliquid tribui, quod vere cognito non potest.*

AT hi scrupuli facilè evanescent, si attendatur, magnum esse discrimen ponendum inter Deum Verum, & clarè *cognitum*, & Deum non nisi confusè apprehensum. Certum enim est, Deum clarè cognitum, nullo pacto ut Deceptorem concipi posse; ac pari impossibilitate nunquam fieri posse, ut illi quicquam falsi, hoc est, ab ejus natura alieni tribuetur. Nihil autem obest, quominus Deo obscurè tantum cognito aliquid ex suppositione adscribatur; quia quod ita fingitur, & illi ex *Hypothesi* imputatur, non tam à *Voluntate*, tanquam aliquid verum assignatur; sed solùm *Intellectui* examinandum proponitur;

atque adeò nullam boni, aut mali rationem formalem includit; aut si quam includit, à Fine, cujus gratia Hypothesis facta est, sortitur. Quando igitur Cartesius, Deum, quem clarè non noverat, sive quando se nondum nosse putabat, ut Deceptorem finxit; non id illi vitio vertendum est, quum ea simulatione, ad Intellectum magis illustrandum usus sit, seu ad Dei naturam clariùs cognoscendam, seu ad aliis evidentiùs ostendendam. Verùm, ne fortè hac explicatione, *Cartesio* iniquus fiam, quod supervacaneo sermone, Mentem ejus interpreter, Dico, illum nunquam Deum Opt. Max. malignum quendam *Genium* esse finxisse, nec ei illam calliditatem indidisse, qua ad deceptionem nos traheret. Agnovit quidem Bonitati Divinæ haud repugnare, ut interdum fallamur, atque ut id contingat, permittere; Illi autem nunquam positivam fallaciam affinxit, quem Optimum, & omnis Veritatis Authorem appellat, sed illam in *Genium* quendam *malignum* transtulit, quem astu & versutia instructum, ut omnes suas Opiniones esse falsas imaginaretur, supposuit. Supponam, inquit, non Optimum Deum (esse deceptorem) sed *Genium* aliquem malignum, eundemque summe potentem & callidum, omnem suam industriam in eo posuisse, ut nos falleret. Quibus verbis, sat apertè insinuat, hanc fictionem non Deo Benigno; sed maligno cuidam Dæmoni acceptam ferre, cui fallendi potentiam adscripsit.

VI. *Non dubitavit de omnibus Cartesius, ut in dubitatione maneret.*

UNDE patet, non satis matura consideratione, quæ sequuntur Virum Eximium subjunxisse: *Cùm verò ipse finxerit, è præcipitio se planè misit, atque ita ruit, ut nunquam postea se sustinere possit.* Quasi verò, ex eo quod

Car-

Cartesius omnia in dubium trahat, & quæ sub Intellectum cadunt, falsa esse arbitratur, de ejus salute actum sit, & ita dubiarum & falsarum opinionum laqueis implicitus provolvatur, ut nunquam se ab eis extricare valeat. Et qui se ab eis liberare poterit? subjungit Vir Clarissimus; *Si enim tam perversè facti & constituti esse possimus, ut falsa semper pro veris percipiamus, quo quæso initio Scientiæ cujusvis fundamenta ordiemur?*

VII. *Optima Cartesii methodus ad scientiæ fundamenta eruenda.*

RESPONDEO, nulla alia faciliori methodo, quis Scientiæ fundamenta ordietur, & ad Rerum cognitionem certiùs perveniet, quàm si *Cartesii* exemplum secutus, de omnibus dubitandum esse censeat, & per generalem judicii suspensionem simul & semel ea prorsus abdicet. Quoniam eo pacto, ab Infantiæ & Affectuum *præjudiciis* immunem se tuetur, atque Veri cognitione se exornandum exhibet. Non tamen ad Vitæ finem hujusmodi Dubitatio protrahenda est, nec quæ falsa esse semel finximus, pro talibus semper habenda sunt; quemadmodum fecere *Sceptici*, qui humanam imbecillitatem causati, omnem animi operam in dubitando locabant: sed ad tempus duntaxat judicium differendum est, donec tandem velut æquatis utrimque præjudiciorum ponderibus, ut loquitur Philosophus, nulla ampliùs prava consuetudo judicium à recta ratione detorqueat. Fingere igitur possumus, à perverso aliquo *Genio* nos illudi, at non *ut semper falsa pro veris percipiamus*; sed ut faciliùs postmodum transacta dubitatione, & dispersa Genii caligine, à Falsis *Vera* discernamus, & genuina Scientiæ fundamenta eruamus.

VIII.

Dubitatio non ad res ipſas ſed ad noſtram cognitionem eſt referenda.

QUARE citra rationem (ſalvo tamen meliori judicio) ſequentia à præſtantiſſimo Theologo adduntur. *Quantacunque enim perſpicuitate res ipſæ nobis ſui fidem fecerint, nihil tamen ad aſſenſum unquam efficient, quamdiu manet deſperata illa dubitandi ratio probabile eſſe ut omnia contra quàm ſunt nobis videantur.* Quoniam illi prius animadvertendum erat, *Dubitationem*, non ob res ipſas fieri; ſed potiùs ob dubitandi rationes, quæ nobis occurrunt. Vel illius intuitu, qui nondum veram Philoſophandi viam ingreſſus, ſolo Naturæ lumine, ad Res cognoſcendas accedit. Verum Vir Clariſſimus videtur *Dubitationem* & Falſitatem Rebus affingere, quaſi quæ ſemel ut incerta, aut falſa apprehenduntur, nunquam certa, aut vera reddi queant. Cùm potiùs ſupponere debuiſſet Dubitationem & certitudinem, non ut Objectorum eſſe proprietates, quæ illis perpetuò inhæreant; ſed ut relationes *Cognitionis* noſtræ ad Objecta; Sic ut Dubitatio & Certitudo ſolùm in noſtra Cogitatione conſideranda ſint. Sin verò aliter ſenſerit, voluerintque nulli nos rei aſſentiri poſſe, quamdiu de illa ambigimus, damus manum, idque ultrò quod intendit, largimur; Cùm Dubitatio Rei ignoratio ſit, non notitia, judicii dilatio, non affirmatio, aut negatio, & qua manente, nulli rei fit aſſenſus aut diſſenſus.

IX.

Ex maligni genii fictione, nihil mali ſequitur.

AT quid inde mali oritur, quòd quis ut inconcuſſa Scientiarum fundamenta inveniat, dubiter, omnia objecta falſitatis ſuſpicetur, perverſæ naturæ *Genium* effingat, qui illum ſuis artibus in *errorem* inducat? Quid prohibet, ut qui Philoſophica tantum meditatur, de iis judicii aſſenſum cohibeat, non adhibita mora,

quæ

quæ ad evidentem & distinctam Rei perceptionem requiritur? Id pandat Vir eximius, & apertiùs ea in re mentem suam aperiat.

X.
Non inservit Dubitatio ad Dei existentiam probandam.

Sed ubi satis acerbè contra præjudiciorum eversionem invectus est, ac rationum vanitatem, quibus omnia in dubium revocantur, ostendere animum adjecit; ad Dubitationis effectus tandem delabitur. *En igitur*, inquit, *unde initium ipse* (Cartesius) *duxerit, quòd Deum demonstrare posset, eumque neque falli, neque fallere.* Adeóne secunda est ignoratio? Quid! tantum potest mentis incertæ & dubitantis Affectio, ut ea posita, illico supremum numen existere deprehendatur? Imo ejus esse naturæ, ut non fallere, neque falli queat? Admittit quidem *Philosophus* utilem esse *Dubitationem*, ut nos à præconceptis Opinionibus liberet, viamque facillimam sternat ad Mentem à Sensibus abducendam: Non tamen ad aliquid probandum, aut ad *Veritatem* aliquam stabiliendam. Quis credat, Dei Existentiam ex Rerum omnium subtractione consequi? An inter Deum, & universalem judicii suspensionem connectio necessaria intercedit? *Abdicatio* non nisi ad eum spectat, qui nondum clarè & distinctè quicquam cognoscit: quomodo autem talis, aut per Ideam, aut per effectum, Dei Existentiam demonstrabit? Nisi dicatur *Scepticos*, quibus familiaris fuit Rerum omnium abdicatio, clarè nihilominus aliquid percepisse, quod tamen ipsi abnuunt, & ignorantiæ patrocinantur. Non igitur à Dubitatione *Cartesius* initium duxit, quòd Deum demonstrare posset; sed post Dubitationem; per eam Animum præparavit, non quicquam ejus ope stabilivit.

Deum exiſtere demonſtravit, non ambigendo, ſed *ratione* in arbitrium aſcita, cui ſoli evidenter & diſtincte percepta manifeſtantur, & pateſcunt.

XI. *Dei Veracitas non hoc loco, ſed cap. 16. examinanda.*

Nonnulla in eadem Sectione decima quinta Eruditus Theologus ſubjungit, ad probandum Deum fallere poſſe, modò deliſtum abſit, & fraus citra alicujus injuriam committatur. Sed quia *Carteſius* in prima Meditatione, quam Reverendus Dominus in ea Sectione, potiſſimum impugnandam ſuſcepit, nondum Deum ſe noſſe præſupponit, & illius Exiſtentiam in tertia dumtaxat Meditatione demonſtrare adoritur, ea, quæ illic adfert, in Capite decimo ſexto examinanda conſultò differo.

XII. *Quare Opus fuit fingere malignum aliquem genium in prima Meditatione.*

Interim ægrè fert Vir Clariſſimus, quòd ut Res falſas, imaginariaſque *Philoſophus* fingeret, invidum, perverſumque Dæmonem conſtituerit, qui data opera, fucum faciat, noſque Veritate, quam inquirimus, fruſtretur. Quippe illi ſatis fuiſſe arbitratur, ſi ſictus ille Deceptor, facetus lepidusque habeatur, dum nobis ita illudit, ut Cœlum, Solem, Terram, aliaque omnia, quæ cùm non ſint, exiſtere videantur. *Nihil igitur opus erat*, inquit, *malignum finxiſſe, ut hujus præſtigiis luderet, ſatis eſt, ſi facetum putaverit.* Sed quare opus non fuit *Genium* malignum potiùs quàm ludicrum fimulare? ſi illi ratio ſuppetit, cur ita fieri non debeat, cur illam non adfert? Id meritò à quocunque exigere fas eſt, ubi non tam authoritate, quàm rationibus decertatur. Verùm, quia fortè idem in *Carteſium* retorqueri poſſet, quòd inſigni malitia Deceptorem commentus ſit, ejus mentem paucis explicabo. Cum Scientiam *Philoſophus* tunc quæreret, quæ foret à minima etiam *erroris* ſuſpicione

cione libera, quicquid ejus evidentiæ obstare poterat, in medium adduxit, ut ostenderet, tanti etiam Deceptoris intuitu, suam infallibilitatem ac certitudinem vendicare.

XIII. *Cùm affinis sit Somno Vigilia, non certò noscitur, quid per alterutrum repræsentatur.*

Hoc Responsum Viro Erudito mecum constare non videtur, qui Sensus suos consulendo, & detecto oculis *Solis* splendore, affirmat se Solem aspicere; neque ea de re ambigere, quantumcunque Dæmon ille malignus obluctetur, & præstigias exerat. *Pro immensa itaque sua potentia me fallas, sive facetus ille, sive malignus Deus, insanus sim, si cùm nunc Solem aspexerim, an aspiciam dubitarem. Atque tu ipse an bona fide dubitares tres angulos esse æquales duobus rectis; quadratum quatuor dumtaxat latera habere; duo & tria esse quinque; res quasdam materiales existere,* &c. Observatum est, in præcedentibus, Sensus non veros esse Rerum Judices, & circa objecta, quæ nobis exhibent, non raro decipi: quod etsi non *formalem*, materialem saltem falsitatem implicat. Quod si ita se Res habet, unde, quæso, nobis apparebit, *Solem* esse, qui nostris oculis objicitur, aut quem nobis objici imaginamur. Cùm similes prorsus cogitationes dormienti & somnianti occurrant, quales nunc ad Sensuum evidentiam provocamus? si actionum nostrarum conscientiam, tanquam Vigiliæ testem adducamus, quomodo nobis Vir Clarissimus persuadebit, quòd *Sidus*, quod præsens esse existimat, somno solutus potiùs, quàm eodem gravis intueatur? Decipi igitur potest, & sic meritò dubitare, an Solem nunc verè aspiciat, necne; ac proinde *non is plusquam insanus reputandus est, qui plus certitudinis quam Solem esse, aut se corpus habere, in re quavis postularet.* Quia sæpiùs experimur,

nos

nos eadem dormientes, quæ vigiles pati, & in alterutro ſtatu poſiti, pro Opinionibus noſtris conſligere & prælíari.

XIV. *Deo ignoto, ambigi poteſt de certitudine Veritatum Mathematicarum.*

SIMILI ritu nunquam certi eſſe poſſumus, in *Triangulo*, tres Angulos eſſe duobus rectis æquales: *Quadratum* quatuor latera continere: unum & duo facere octo; ni priùs pro certo habeamus Deum non poſſe eſſe fallacem. Verùm, cùm Deum exiſtere nondum Carteſio in prima Meditatione innoteſceret, de prædictarum Veritatum evidentia, abſolutè certus eſſe non poterat, niſi anteà clarum & diſtinctum Dei conceptum haberet, qui eum affirmare faceret, Deum eſſe ſummè Veracem. Atque cùm illud, inquam, tunc temporis non apparuerit, ſufficiens illi dubitandi ratio adfuit, an in Triangulo tres Anguli pares eſſent duobus rectis, & an *Quadratum* non plura aut pauciora latera complecteretur.

XV. *Nihil certitudine Metaphyſica acquiri poteſt, niſi per Dubitationem Carteſianam.*

HINC dilucidè manifeſtum apparet, quàm Carteſiana abdicatio, iis utilis ſit, qui ad ſolidam Sapientiam contendunt, & Senſibus neglectis, ſoli claræ Cognitioni indulgent; quandoquidem citra illam, nihil quicquam evidenter percipi queat, ea nimirum evidentia, quæ ad certitudinem Metaphyſicam requiritur. Unde nullatenus Viro Eximio aſſentiri valeo, dum ait: *Quid itaque opus eſt nos ipſos fictis & inanibus iſtis dubitandi rationibus fatigare, cùm ſine labore, ſine temeritate, ſine periculo res omnes quas ſcire ſit operæ pretium, certò intelligamus?* Quàm fælices nos, ſi id quod pollicetur, præſtare poſſet! Hinc à nobis lubentes, omnem dubitandi rationem amandaremus, eamque ut inanem rejiceremus, ſi ad nullam certitudinem nos promovet, &

quæ

quæ diſcenda nobis proponuntur, citra *labo-rem*, citra temeritatem, citra periculum certò intelligamus. Sedes igitur ſuas profeſſores deſerant, exulent Academiarum Magiſtri, ablegentur à Civitatibus Doctores, ſi ad Scientiam ſine *labore* pervenire valemus, ſi Diſciplinarum abdita ſine *temeritate* panduntur, & quod ſcitu neceſſarium eſt, ſine *periculo* obtinemus. An fortè nihil noſtra intereſt, ſi Logicæ, ſi Mathematicis Diſciplinis, ſi Geometriæ Analyſi damus operam, quæ dum ingenium acuunt, imaginandi Facultatem defatigant? An Theologia, in qua tam inſigniter verſatus eſt Vir Clariſſimus, negligenda eſt, quoniam Veritates à Deo revelatæ, humani ingenii captum excedunt, & ſæpe non abſque periculo & temeritate diſcutiuntur?

XVI. *Priùs de rebus dubitandum quàm ut aliquid ſtatuatur.*

SEDULO perpendat Eruditiſſimus Theologus, an non faciliùs ſit, circa Philoſophiæ initia, à Dubitatione ordiri, & oblatas utrinq; rationes ventilare, quàm abſque ullo examine, & cum magna ſui fiducia, omnia ſcrutari, omnia concludere. "Nam quo pacto, ut diſ-"ſerit Plato, *Fidem* habeat novis ac recen-"tibus Rebus, qui prius ex Animo non de-"pulerit, quæ malè ſibi inſita fuerunt? Et cùm id egerit *Carteſius*, & deducta à Senſibus præjudicia priùs depoſuit, quàm Verum inveſtigaret, quod demum fuit ejus Fatum? Quæ ſors illum manſit? En, *Miſerrimo hujus Philoſophi exitu, modeſte ſapere diſcamus, qui cùm ingenii fiducia fretus in altum, ſpreta naturæ ſuæ conditione, evolare vellet, mox in tam profundum delapſus ſit dubitationum gurgitem, ut quantumcunque poſtea enixus ſit, nunquam potuit aut enatare, aut pedem figere.*

Hoc

Hoc eſt, quantum ego aſſequi valeo, ita dubiis involutus permanſit, ut nihil poſteà veri, nihil certi inde deduxerit. Priuſquàm verò tanti Viri judicio ſubſcribamus, lis inſtituatur, & cui palmam & ratio & inſtitutio aſſignaverint, Victor eſto.

Caput Octavum.

Ut primum omnis Scientiæ fundamentum Carteſius invenerit, & quale illud ſit.

I. *Adoritur Carteſius poſt omnium abdicationem, aliquid certi invenire.*

QUAMVIS Rerum omnium abdicatio, ut præmonui, Scientiæ inutilis ſit, & ad Veritatem aliquam ſtabiliendam nihil conducat; Ita tamen ad Res Intellectuales conſiderandas Animos præparat, & eos præjudicatis intempeſtivæ ætatis *Opinionibus* exuit, ut citra illam nihil ſolidi, nihil cum ratione oſtendi poſſe videatur. Quemadmodum *Ariſtoteles* Lib. 3. Metaphyſic. cap. 4. teſtatur: "*Certa* enim cognitio, quæ ſequitur, "ſolutio eſt eorum, quæ antea dubitabantur. Hinc *Carteſius* poſtquam circa omnia, quæ ſub ejus cogitationem cadere poſſunt, dubium movit, periculum demum fecit, num fortè aliquid ſupereſſet, quod inter dubia non retuliſſet, & ſi ita ancipiti & ſuſpenſo quicquam obverſaretur, quod in dubium non revocarat, id ſibi velut Baſim, cui tota ejus Cognitio inniteretur, retinendum ſententiæ fuit. Et licet omnia, ut ante patuit, ſubmoviſſet, nihilque eorum, quæ ſibi repræſentarat, ut Verum agnoſceret: quippe non de

iis

iis ſolùm, quæ Senſibus attinguntur, dubitarat; verùm etiam de illis omnibus, quæ menti obvia ſunt, ſive à ſolo Intellectu apprehenduntur; aliquid tamen, quod explorandum eſſet, reliquum fuit.

II. *Poſt omnium abdicationem, ſe exiſtere certo Carteſius infert.*

At qua arte, inquies, quibus machinis, illud eruet, cùm *in tam profundum delapſus eſt dubitationum gurgitem, ut quantumcunque enitatur, nunquam poſſit aut enatare, aut pedem figere?* Revera non ægrè admodum. Nam cùm omnia per abdicationem ſuſtuliſſet, animadverteret verò eum, qui ſic judicio ſuſpendit, eo ipſo, quo hoc facit, exiſtere, ſe eſſe concluſit; non quatenus Capite, Manibus, cæteriſque Corporis membris conſtat; quia hæc jamdudum ablegaverat, ſed quatenus *Dubitans, Cogitans*, &c. Si quis Somnum obtrudat, dicatque eadem ſimulacra pari modo ſomniantibus, ac vigilibus occurrere, nihil efficiet: Nam ſive quis ſomno obrutus, ſive experrectus, cogitat, tamen eſt ſi cogitat. Ac proinde intellexit Philoſophus, ſe Rem, ſeu Subſtantiam eſſe, cujus tota Natura, ſeu eſſentia in eo tantùm, conſiſtit, quòd cogitet, quæq; ut exiſtat, nec loco ullo indiget, nec ab ulla Re Materiali ſeu Corporea dependet.

III. *uniuſcujuſque exiſtentia adeò nota eſt, ut nullo modo de ea dubitari poſſit.*

Verum, Te tantillum contine, ſubjunges, cùm Homo ſis, ac idcirco Erroribus obnoxius, unde te non falli judicas, cùm ex tua Dubitatione, ſeu Cogitatione te exiſtere concludis? Quid ni impoſturam patiaris, & cum Rebus cæteris fictitium quid ſis, & evanidum. Imo certè *ſum*, ſi erro, ſi decipior, & qualemcunque Deceptorem mihi objicias, qui aſtu valeat, omnemque in me fallendo induſtriam impendat, ero tamen, quamdiu me decipi ſupponetur. Nec denique quæcunq;

alia

alia dubitandi causa proponatur, ulla unquam adferri potest, quæ de mea *Existentia* certissimum me non reddat. Imo quo plures ambigendi rationes in medium adducentur, eo plura adducentur Argumenta, quæ me existere persuadebunt. Quia etiamsi in Rebus aliis circumveniri possim, nequaquam verò in propriæ Existentiæ meæ cognitione. Quemadmodum præclarè observavit *Augustinus* ad *Evodium*. "Quare priùs abs te quæro, "(ut de manifestissimis capiamus exordium) "utrum tu ipse sis? An fortasse memis me "hac in interrogatione fallaris? Cum utique "si non esses, falli omnino non posses. Adeò ut, quamvis me omnibus *Sensibus* destitutum spectes; quamvis à me Corpus, Figuram Extensionem, motum localem removeas, *sum*' tamen, si aliquid me esse *cogito*, & quocumque me ad dubitandum verto, in has voces erumpere cogor, *Cogito, Dubito, igitur sum.*

IV. *Ego cogito, ergo sum est per se notum.*

Hoc effatum tam manifestum, tantaque soliditate præditum est, ut de ejus Certitudine nullatenus ambigi queat; Cum fieri non possit, ut qui cogitat, se cogitare non cogitet, & consequenter ut is qui se cogitat cogitare, non sit. *Non entis* enim *nullæ sunt Affectiones*, aut operationes. Unde sicuti *Archimedes* Geometricarum demonstrationum claritate nixus, non nisi punctum extra Tellurem nostram exigebat immobile, in quo pedem figens, hanc totam loco amoliretur; sic *Cartesius* Archimede fælicior, ope suæ Methodi fretus, inconcussum principium vestigans, *Veritatem* invenit ab omni prorsus dubitandi causa liberam: Adeò ut ei tanquam immobili principio, tota Scientiarum moles innitatur. Quippe illud tale est, ut ab eo solo recte

primus

primus progressus instituatur, ad probandam aliarum Rerum existentiam: quod quilibet propria experientia cognoscere potest: Nam etiamsi verum sit, ea quoque existere, quæ Sensibus detegimus, non tamen à *Sensuum* judicio, tanquam à re per se nota, initium faciendum est, ad rerum existentiam manifestandam; quandoquidem plurima dubia non temerè quæsita, sed Viro cuivis prudenti sese offerentia, de Sensuum testimonio objici queunt. Restat igitur ut hoc effatum, *Cogito, ergo sum*, omnium Veritatum norma sit ac mensura: quippe id pro firmo ac immobili principio habendum est: *Quicquid tam evidenter, ac distincte cognoscitur, quam istud, id verum est.*

V. *Dogmatici Scepticis præferendi.*

Quamquam Vir eximius hunc conatum non spernat, tacitéque fateri cogatur *Cartesium*, in eum Beatitudinis apicem perveniisse, ut Veritatem saltem unam, suæ Methodi auxilio attigerit; *Scepticos* nihilominus illi præfert, ingeniisque palmam *Academicis* concedit, qui ut ab omni assensu, suam libertatem contra *Dogmaticorum*, ut aiebant, insolentiam tuerentur, incerta omnia, & incognita esse voluerunt. *Cartesius* autem eandem philosophandi semiram ingressus, *omnia in dubium tantummodò revocare voluit, ut ea ratione, summam de omnibus certitudinem investigaret. Quo conatu rem suam longè minori acumine quàm veteres Sceptici confecisse visus est.* Dubitationem Scientiæ anteponendam nondum antea ab ullo assertam audiveram. Quid! ingenii solertiam arguit, de omnibus Rebus ambigere, & nullum alium præter Dubitationem, sibi finem præfigere? qui hujusmodi incertitudo ab Ignorantione discrepat? Quid Rerum planè nescio, aut de illis ambigenti interest? Itane satius

facius erit quendæ libertatis gratia assensum perpetuò cohibere, quàm Verum servari, & earum naturas pervadere? Quomodo igitur is erit censendus

Fœlix, qui potuit rerum cognoscere causas,

Si ignari, si de omni re ambigui, majori acumine rem suam conficiunt, quàm qui ad Sapientiam aspirant, & Veritates detegere moliuntur?

VI. *Parkerus Divinam providentiam stabiliendo Scepticis adversatur.*

An fortassis, quales fuere *Sceptici* Virum Clarissimum latet? "Qui omnium Rerum, "quemadmodum scribit *Gellius*, fidem ve- "ritatemque mixtis confusisque veri atque "falsi signis ita incomprehensibilem videri "aiunt, ut quisquis Homo est, non præceps, "neque judicii sui prodigus, his uti verbis "debeat. Vereor profectò ne *Scepticos* hic nimium extollendo, proprium institutum inconsultò deprimat, & armis, quæ in *Cartesium* contorquet, sibi vulnus infenat. Nam cùm tota Disputatione sexta, Pyrrhonios & Academicos infectetur, qui omnem de sum qui Numinis providentia, de boni & mali legibus, certitudinem eripiunt, quidni ipsis potiùs laudi ducat, quòd ita fluctuent, & rem suam cum majori acumine peregisse pronunciet, quàm fecerit ipse, qui Divinam Providentiam asseruit, & Boni malique regulas esse demonstravit?

VII. *Cartesius se dogmaticum esse ostendit.*

Nihil efficiet præclarus Vir, dictumve excusabit, si *Cartesium* ut Scepticum denuò proponat; quippe luce meridiana evidentiùs est, illum Scepticos aspernari, & cum Academicis subsistere fastidientem, Philosophum existimari velle & Dogmaticum. Quare depulsa tota Dubitationum turba, velut è caligine, in lucem erumpens suam ex præsente

cogi-

cogitatione exiſtentiam adſtruit, intrepidéq; profert, *Ego ſum.*

VIII.

Illud, ego cogito, ergo ſum, ita evidens eſt, ut dubitando clarum evadat.

Hoc principium adeò perſpicuum eſt, tantoque lumine ſe mentibus noſtris ingerit, ut ſive *Deum* in rerum natura exiſtere credam; ſive *Atheorum* exemplo, extra Mundum relegem; ſive *Senſuum* teſtimonio ſtandum eſſe judicem, ſive illos malefidos eſſe teſtes arbitrer; ſive mentem meam exiſtere; ſive illam fictitium quid eſſe ſupponam; denique ſive me, qui credo, qui judico, qui arbitror, qui ſuppono, Mentem eſſe ſtatuam, aut Mentem eſſe inficiar, inconcuſſum tamen manet, me, *qui Cogito*, exiſtere. Adeò ut illud ita evidens ſit, ut quoties de eo *dubito*, fateri cogar verum eſſe.

IX.

Non poteſt quis ex actionibus corporis, ſed ex ſola cogitatione colligere ſe eſſe.

Reverendus Doctor hunc apparatum improbat, atque ut ſupervacaneum rejicit; quandoquidem aliunde exiſtentiæ noſtræ certitudinem elicere poſſumus. Nam quis ſe ut Hominem contemplatus, non ſtatim ſe exiſtere intelligit? Quis non quavis alia actione ſua ſe eſſe colligit? Cur tot præparationibus opus, cùm Carteſius *ſimplici intuitu, ſine ſolenni iſta dicti indictione, ſine prolixa meditationum ſerie, ſine tanto ſyllogiſmorum ſtrepitu ſat notum ſibi habere potuiſſet.* Id quanquam cum aſſeveratione à Clariſſimo Viro adducatur, omni tamen probatione deſtitutum eſt. Nam quicquid præter *cogitationem*, in ſuæ exiſtentiæ demonſtrationem attulerit, nunquam illius certus erit, certitudine ſcilicet Metaphyſica, de qua hic potiſſimum eſt quæſtio. Nam quamcunque aliam *Actionem* adduxerit, non tamen ex ea ſe eſſe infallibiliter concluder, niſi in quantum internum agendi Judicium Cogitatio eſt, de qua ſola illatio vera eſt. Nequaquam autem de *Motu*

corporeo, à quo Dormiens non rarò affici sibi videtur, quamvis interim quiescat, & tranquillus in lecto recondatur. Adeò ut, ex eo quòd quispiam se manum, se pedes agitare apprehendit, dubio procul, Mentis, quæ illud apprehendit, existentiam vere deducit; non autem Corporis, aut aliquarum ejus partium, quæ moventur quare statuendum est non *simplici alio intuitu*, non quacumque Corporis actione, potuisse Cartesium *notum sibi habere potuisse*.

X.

Ego Cogito, ergo sum, non est Syllogisticus discursus.

Et ut omnis ambiguitas circa hoc effatum: *Dubito, Cogito: ergo sum*, tollatur, observare hîc operæ pretium erit, hanc Orationem non discursum Syllogisticum esse, quo unum ex alio infertur; adeò ut ad illud in forma reducendum, hanc propositionem addi necessum sit: Quicquid cogitat est, vel existit; cogito ego; igitur ego sum. Quia cùm *Præmissæ* in Syllogismo, Conclusionem evidentia superent, & ei Notione anteecedant, sequeretur datas præmissas, fore ipsa Conclusione & clariores & notiores: ac proinde illud *Ego sum*, non foret omnis philosophicæ cognitionis fundamentum, imo à Conclusionis dignitate deviaret; cum certa non esset, & dubiis tantùm præmissis inniteretur. Nam cùm *Cartesius* Universales propositiones in dubium prima Meditatione revocaverit, quî aliquam firmitatem nanciscetur, si illius veritas ab illis dependeat, & ab iisdem totam suam claritatem desumat? Quare in Responsione ad secundas Objectiones ita scribit: Cum autem advertimus nos esse Res Cogitantes, prima quædam notio est, quæ ex nullo Syllogismo concluditur; neque enim cum quis dicit, *Ego cogito, ergo sum, sive existo*, existentiam ex Cogitatione per Syllogismum deducit,

deduxit, sed tanquam rem per se notam simplici mentis intuitu agnovit; ut patet ex eo, quòd si eam per *Syllogismum* deduceret, novisse prius debuisset istam majorem: *Illud omne quod cogitat, est sive existit*; atqui profectò ipsam potiùs discit ex eo quod apud se experiatur fieri non posse ut cogitet, nisi existat, unde effatum illud, *Cogito, ergo sum*, pro unica solummodo propositione habendum est, quæ huic æquivalet, Ego sum Cogitans.

XI. *Propositio universalis ex particularibus est deducenda.*

Hinc evidens apparet Virum Eximium, non satis ad hoc attendisse, dum solennem diei, qua Rerum abdicatio facta est, indictionem ut superfluam existimans, ait: *Sine prolixa Meditationum serie, sine tanto Syllogismorum strepitu sat notum sibi habere potuisset*, nempe, se esse: Quia nullo Syllogismo ad sui existentiam probandam philosophus usus est; imo nullo uti debuit, quemadmodum ipsemet ibi testatur, in Responsione ad Instantias *Gassendi*, simile quid objicientis. Præcipuus enim *Gassendi* error hac in materia fuit, quòd Enuntiationum particularium cognitionem, semper ex universalibus secundùm Syllogismorum Dialectices ordinem, deducendam esse supposuerit. Qua in re, quomodò Veritas indaganda sit, se ignorare prodidit. Constat enim inter omnes Philosophos, ad eam inveniendam, initium semper à notioribus *Particularibus* fieri debere, ut postea ad *universalem* perveniatur: quamvis etiam reciprocè Universalibus inventis, aliæ particulares inde deduci queant.

XII. *Geometer colligit universalia axiomata ex rebus particularibus.*

Ita si puer in *Geometriæ* Elementis instituendus est, hoc principium generale: *Si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent, erunt*

æqualia: aut, *Totum singulis partibus* majus est, non capiet, nisi particularibus exemplis illustretur, quia ea est Mentis nostræ natura, ut generales propositiones ex particularium cognitione efformet. Patet igitur, quod hujus effati; *Ego cogito, igitur ego sum*, veritas non sit ex majori universali deducenda, cùm adeò evidens animo appareat, ut ab ea credenda temperare sibi non possit, cùm fortè de illa tum primùm cogitare incipiat.

Caput Nonum.

De Criterio, sive nota indubitata veræ Certitudinis.

I. *Quid tam clarum nobis est, ac nostri existentia verum est.*

Cum nemo ambigere queat se existere, ex eo quod sit Cogitans, & certitudine planè irrefragabili se cogitare, hoc est, affirmare, negare, imaginari, intelligere percipiat, indubitata consecutione, hoc enunciatum, *Cogito*, sive *sum Cogitans*, infert esse solidissimum totius Philosophiæ fundamentum. Quia cum de nulla re certi esse possumus, quamdiu an existamus, nos latet, & omnis nostræ Affirmationis & Negationis veritas, ab hoc principio pendeat, rectè pronunciat, *Ego sum*, esse per se notum, nec per aliud evidentius posse manifestari. Cùm verò in Scientiis nihil aliud investigetur, imo nihil aliud desideretur, ut Res, quæ tractantur, pro *compertis* habeamus, quàm ut omnia inconcussis ex principiis deducantur, eaque non minùs evidentia & distincta evadant, quàm prin-

principia ipsa, ex quibus emanarunt; apertè sequitur, ut quicquid eam claritatem adsciscit, sive quicquid nobis parì claritate & evidentia innotescit, ac principium jam repertum; atque omne, quod huic principio sic consentaneum est, ut ab eo talem involvit dependentiam, ut si de illo ambigatur, de principio quoque ambigendum sit, pro verissimo admittere debemus.

II.

Nota Veritatis in omnibus Scientiis observanda.

Ultra pro Criterio, & infallibili Certitudinis nota recipiendum est: *Omne illud mihi verum est & certum, quod valde perspicuè & distinctè concipio, sive apprehendo.* Ea enim est perspicuitatis & evidentiæ efficacia, ut à nobis assensum extorqueat, & fieri nequit, ut rei alicujus claritate Animus concutiatur, quin illicò velut Lanx ponderibus impositis, cedat, & spretis omnibus præstigiis, quibus ab ea depelli potest, illam probet, atque ut veram amplectatur. Hinc Platonici comprehensibilem vocari Rationem dicunt, quæ est communis Evidentiæ & Veritatis. "Sic *Plato* in "*Phædone*, Ecquando igitur Animus veritatem "assequitur; nonne Animus ratiocinando, seu "alio quodam modo res ipsas perspicuè con"templatur? Certe. Tunc vel optimè ra"tiocinatur, cum ipsum nullus Corporis "Sensus offenderit, seu visus, seu dolor, seu "voluptas. Sed ipse apud seipsum maximè "sit, quantum potest, Corpus nulla commu"nicate contingens, vim ipsum certo instituto "persequitur. An ita res habet, illum Ho"minem, qui maximè & exquisitissimè com"paratus sit, ad ipsius rei, in qua disquirenda "versatur, naturam cogitatione comprehen"dam: illum nimirum proximè accessurum "ad illius rei naturam cognoscendam atque "intelligendam.

III. *Judicium claram rei notitiam sequitur.*

Quippe si rationem inquiramus, quorsum tanta cum Animi securitate, me esse *Rem cogitantem* affirmem, nulla alia occurret, quàm quia illud tam manifestè & distinctè percipio, ut ei assentiri cogar, nec à me in dubium ullatenus revocari queat: Omnium enim Animis, inquit *Cartesius, part. 1. principior. Artic. 43.* à natura impressum est, ut quotiens aliquid clarè percipimus, ei sponte assentiamur, ut nullo modo dubitare possimus quin sit verum. Nam cùm cognitionem nostram judicium sequatur, & per Ideas, quæ menti insunt, de Rebus decernamus, fit, ut quicquid in Rei Idea clarè, & distinctè continetur, illud de *Re* dici, & verè prædicari queat. Ut quia in Idea *Trianguli* includitur, quòd tres ejus Anguli pares sint duobus rectis, Angulorum æqualitatem de *Triangulo* affirmare licet. Et quia in Idea *Circuli* continetur, quòd lineæ ab uno earum puncto, seu Centro ad peripheriam cadentes, sint æquales, rectè etiam de Circulo linearum *paritatem* affirmare licet.

IV. *Per hanc Regulam,* quicquid clare cognosco, verum est, *tollitur omnis dubitatio.*

Et hoc pacto, tollitur summa illa Dubitatio, quæ ex eo petebatur, quòd nesciremus, an fortè talis essemus naturæ, ut in iis etiam falleremur, quæ nobis evidentissima esse videntur. Quin & aliæ omnes dubitandi Causæ prius recensitæ, facilè ex hoc principio tollentur. Non enim ampliùs Mathematicæ Veritates nobis suspectæ esse debent, quia sunt maximè perspicuæ. Atque si advertamus, quid in Sensibus, quid in Vigilia, quidve in Somno clarum sit, ac distinctum, illudque ab eo, quod confusum est, & obscurum distinguamus, facilè quid in qualibet Re pro vero habendum sit, agnoscemus. Certum enim est,

nihil

nihil nos unquam falsum pro vero admissuros, si iis duntaxat assensum præbeamus; quæ clarè & distinctè percipimus. Quia cùm prædicta *Dubitatio*, non ex claræ perceptionis defectu, sed potiùs à quodam fingendi excessu, & quicquid excogitandi libertate, quod Scientiarum *certitudini* adversabatur, profecta sit; ambigi nequit, quin hujusmodi enuntiata adeò dilucida sint, ut nullæ de iis dubitandi rationes repetiri queant, præter hanc unicam, quod Deus quispiam (dum nimirum ejus natura ignota supponebatur) talem nobis indolem largitus sit, ut etiam circa illa, quæ evidentissima intueri putabamus, decipiemur. Verùm cum de ejus Veracitate nobis constet, eumque omnis luminis datorem agnoscamus, in iis, errare non possumus, quæ clarè & distinctè nobis obversantur.

V. *Et omnis Veritas in quacumq; Scientia stabilitur.*

QUIPPE hæc unica est *Regula*, nec ullam aliam fingere possumus, quæ aliquem usum in Scientiis adipiscendis habeat. Cùm qualemcunque Demonstrationem expectaveris, illa nihil prorsus efficiet, nec earum fundamenti rationem obtinebit, nisi quatenus clarè & distinctè apprehendetur; ac proinde distincta & evidens Cognitio, unicum & stabile est principium, quo aliquid de re cognoscibili, non tantùm certò & decretoriè statuitur; sed *Lapis Lydius* haberi potest, quo Veritas exploratur, & quandonam verum judicium de Rebus profertur, detegitur. Enimverò, si sedulò meditemur, accuratiusque examinemus, cur à nobis, impetrare non valemus, ut confusè & obscurè *percepta*, quamdiu talia existimamus, assensum præbeamus; à clarè autem & distinctè cognitis, illum cohibere

penes nos non sit, statim Intellectus lumen succurret, insinuabitque id ita à nobis fieri, quoniam in istis, *falsitatem* aut incertitudinem: In iis verò *veritatem* & certitudinem deprehendimus. Sic ut evidens & distincta perceptio, Causa sit, cur judicium nostrum verum & stabile esse pronunciemus; obscura autem & confusa cur dubium & incertum.

VI. *Unde oritur ut decipiamur in iis quæ arbitramur clarè cognoscere?*

Si ita se res habet, inquies, quo pacto fit, ut nos tam sæpè *deceptos* esse experiamur, etiam in iis, quæ Sole clarius scire credebamus? Unde habemus, quòd in iis, quæ clarè & distinctè nunc cognoscere putamus, certum sit nos neque falli, neque falli posse?

VII. *Error noster oritur, ex defectu accuratæ cognitionis.*

Aliud mihi quod respondeam, non suppetit, quàm quòd nos clarè & distinctè non cognovisse, quod falsum esse postmodùm deteximus: sed nobis nimia præcipitantia imposuisse. Nec id certè mirum videri debet, cùm pauci inveniuntur, etiam inter Liberalium Disciplinarum *Professores*, & alios, qui publicè docendi munus suscipiunt, qui huic *studio*, ut par est, operam navant, aut ad illam evidentiam aspirant. Quare quid mirum, si in iis sæpè decipiamur, quæ clarè & distinctè visi sumus cognovisse? Quia non perceptionis nostræ perspicuitatem à solo *Intellectu*, à quo expectanda est, petivimus: sed vel à *Sensibus*, vel à falso aliquo *præjudicio*, eam desumpsimus. Nam quis est, qui Infantiæ tempore, non judicavit *Terram* planam esse; *Cælum* ad modum fornicis extensum; *Sidera* veluti clavos in Firmamento affixos; *Solem* & *Lunam* cæteris aliis astris majores, ac si id evidentissimè & certissimè intuitus esset? Et illud ipsum est, in quo multi deluduntur, aut

si

si verum judicant, id solùm casu contingit, non autem ex suæ Cognitionis evidentia. Quemadmodum monet Philosophus *parte* 1. *princip. Artic.* 44. Certum etiam est, inquit, cùm assentimur alicui rationi, quam non percipimus, vel nos falli, vel casu tantùm incidere, in *Veritatem*; atque ita nescire nos non falli. Id sanè raro contingit, ut assentiamur iis, quæ advertimus à nobis non esse percepta; quia lumen Naturæ nobis dictat, nunquam nisi de re cognita esse judicandum. In hoc autem frequentissimè erramus, quòd multa putemus à nobis olim fuisse percepta, iisque memoriæ mandatis, tanquam omnino perceptis, assentiamur; quæ reverà tamen nunquam percepimus.

VIII. *ut quis de re quam apprehendit, certus esse possit.*

Fundamentum igitur, cui omnis humana certitudo nititur, in hoc dici potest consistere: Imprimis, ut statim aliquid à nobis rectè percipi putamus, sponte, naturalique lumine impulsi, *verum* illud esse nobis persuademus. Si verò hæc persuasio tam firma sit, ut nullam unquam possimus habere causam dubitandi, de eo quod nobis ita persuademus, nihil est quod ulterius inquiramus, habemus omne, quod cum ratione optare licet. Quid enim ad nos, si fortè quis fingat illud ipsum, de cujus veritate tam firmiter sumus persuasi, Deo vel, *Angelo* falsum apparere, atque ideò absolutè loquendo falsum esse? Quid istam absolutam falsitatem curamus, cùm illam nullo modo credamus, nec vel minimum suspicemur? Supponimus enim persuasionem tam firmam, ut nullo modo tolli possit, quæ proinde persuasio idem plane est, quòd perfectissima certitudo. Sed dubitari potest, an talis certitudo, sive firma

& immutabilis *perſuaſio* habeatur. Et quidem perſpicuum eſt, illam, non haberi de iis, quæ vel minimum obſcurè, aut confusè percipimus : Hæc enim qualiſcumque obſcuritas ſatis eſt cauſæ, ut de ipſis dubitemus. Non habetur etiam de iis, quæ quantumvis clarè, ſolo *Senſu* percipiuntur, quia ſæpè noviimus in Senſu *errorem* reperiri ; ut cùm *Hydropicus* nivem videt ut flavam : non enim minùs clarè & diſtinctè illam ſic videt, quàm nos ut albam. Superest itaque, ut ſi quæ habeatur, ſit tantum de iis, quæ dilucidè ab *Intellectu* percipiuntur.

IX. *Objicitur nullos fore fideles, ſi ſola clara perceptio eſt ſequenda.*

Dices fortaſsè, ſi hæc Regula in omnibus judiciis ſervanda eſt, nulli erunt in Mundo Fideles, nulli Chriſtiani ; quia cùm *Voluntas* claram & diſtinctam mentis cognitionem ſequi debeat, quomodò quis Fidem amplectetur, cùm obſcura ſit, & ſoli Divinæ Authoritati innitatur.

X. *Fides ſuam certitudinem & claritatem habet.*

Respondet Philoſophus, Fidem quidem de obſcuris eſſe, non tamen illud, propter quod, ipſam amplectimur, obſcurum eſt : ſed omni naturali luce illuſtrius. Quippe diſtinguendum eſt inter *materiam*, ſive *rem* ipſam, cui aſſentimur, & *rationem formalem*, quæ Voluntatem movet ad aſſentiendum. Nam in hac ſola ratione perſpicuitatem requirimus. Et quantum ad *Materiam*, nemo unquam negavit illam poſſe eſſe obſcuram, imo ipſammet obſcuritatem. Cùm enim judico obſcuritatem ex noſtris conceptibus eſſe tollendam, ut abſque ullo errandi periculo ipſis aſſentiri poſſimus, de hac ipſa Obſcuritate clarum judicium formo. Deinde notandum claritatem, ſive perſpicuitatem, à qua moveri poteſt noſtra Voluntas ad aſſentiendum, duplicem

eſſe

esse, aliam scilicet à lumine naturali, & aliam à *Gratia divina*. Jam verò etsi Fides vulgo dicatur de obscuris, hoc tantum intelligitur de *Re*, sive de materia, circa quam versatur, non autem quòd *ratio formalis*, propter quam rebus Fidei assentimur, sit obscura: Nam contra, hæc ratio formalis consistit in lumine quodam interno, quo à Deo supernaturaliter illustrati considimus ea, quæ credenda proponuntur, ab ipso esse revelata, & fieri planè non posse, ut ille mentiatur, quod omni naturæ lumine certius est; & sæpe etiam propter lumen Gratiæ, evidentius.

XI. *Non peccant Infideles quod Christiani non fiant.*

Unde magna cum ratione postmodum infert *Turcas*, aliosque Infideles, non ex eo peccare quòd Religionem Christianam non amplectantur, quoniam Rebus obscuris, ut *obscuris* sunt, nolint assentiri; sed vel ex eo, quòd Divinæ Gratiæ interiùs illos moventi repugnent: vel quòd in aliis peccando, se gratia indignos reddant. Atque audacter dico *Infidelem*, qui omni gratia supernaturali destitutus, & planè ignorans ea, quæ nos Christiani credimus à Deo esse revelata, ipsa tamen quæ ipsi sibi obscura, falsis aliquibus rationibus adductus amplecteretur, non ideò fore Fidelem, sed potiùs in eo peccaturum, quòd ratione sua non rectè uteretur. Nec puto ullum orthodoxum Theologum aliter unquam de his sensisse.

XII. *Quomodo acquiritur clara notitia in conceptibus nostris.*

Si verò roges, qui tanta in Conceptibus nostris evidentia comparari queat?

Breviter cum Philosopho respondeo *prim. parte princip. artic. 75.* Primò omnia præjudicia sunt deponenda, sive accuratè est cavendum, ne ullis ex Opinionibus olim à nobis receptis fidem habeamus, ni prius

iis ad novum examen revocatis, veras esse comperiamus. Deinde ordine est attendendum ad notiones, quas ipsimet in nobis habemus, eæque omnes & solæ, quas sic attendendo clarè & distinctè cognoscimus, judicandæ sunt veræ. Quod agentes imprimis advertemus, nos existere, quatenus sumus naturæ Cogitantis; & simul etiam esse *Deum*, & nos ab illo pendere, & ex ejus Attributorum consideratione, cæterarum Rerum veritatem posse indagari. Quoniam ille est ipsarum causa. Et denique præter notiones Dei, & mentis nostræ, esse etiam in nobis notitiam multarum propositionum æternæ veritatis, ut quod *ex nihilo nihil fiat*, &c. Itemque Sensuum quorumdam, qui nos afficiunt, ut *doloris*, *caloris*, *colorum*, *saporum*, &c. quamvis nondum sciamus, quæ sit causa, cur ita nos afficiant. Et hæc conferentes cum iis, quæ confusiùs ante cogitabamus, usum clatos & distinctos Rerum cognoscibilium conceptus formandi acquiremus.

XIII. *Hæc Regula non in vitæ actionibus, sed in veritatis contemplatione sola est attendenda.*

Cæterum animadvertendum est, hanc Certitudinis regulam, non ad *Vitæ* usum extendendam esse, sed solùm ad *Veritatis* contemplationem. Nam quod ad Vitæ actiones spectat, tantùm abest, ut putem nullis nisi clarè perspectis esse assentiendum, quin è contra ne quidem *Verisimilia* puto esse semper expectanda; sed interdum è multis planè ignotis, unum eligendum, nec minùs firmiter tenendum, postquam electum est, quamdiu nullæ rationes in contrarium haberi possunt, quàm si ob rationes valde perspicuas fuisset electum. Ubi autem agitur de *Veritatis* contemplatione, quis nescit unquam ab obscuris, & non satis distinctè

distinctè perspectis assensionem esse cohibendam?

Caput Decimum.

Summa cum Ratione Mentem à Corpore Distinctam Cartesius comprobavit.

SUPPOSITO quòd distincta, & evidens Cognitio, sit Voluntatis norma, quam in Judiciis suis sequi debeat, ac proinde illud verum sit, quod à nobis perspicuè & distinctè percipitur. *Cartesius* Substantiam Cogitantem esse rectè intulit, & ab omni prorsus Materia semotam. Nam cùm an *Corpus* habeamus, dubitare, imo omnia Corpora, per Rerum abdicationem, è medio tollere possimus, nequaquam verò ambigere licet, quin simus, sive existamus, quamdiu dubitamus, sive cogitamus; per claram & distinctam Intellectus operationem deprehendimus, nos Substantias esse, & ab aliis Rebus, quas completè intelligimus, distinctas; ac proinde nos, in quantum Cogitantes, non Cœlum, non Terram, non Ventum, non Ignem, aut quodlibet aliud *corpus* esse, quandoquidem de eorum omnium existentia dubitare possimus, & illa per claram Intellectus operationem à nobis removere. Nullum autem majus Distinctionis inter duas Res argumentum reperiri potest, quàm quòd in utramque partem nos convertentes, nihil planè in una deprehendimus, quod ab altera non sit diversum.

I. *ut nobis innotescit distinctio Mentis à Corpore.*

NIHILO-

II. *Explicanda ſunt nomina Corporis & Mentis.*

NIHILOMINUS quoniam id à quibuſdam controvertitur, nec omnium mentibus hæc lux affulget, ad difficultatem, quæ ex nominum ambiguitate oriri poſſet, tollendam; juvat hîc obiter explicare, quid per *Corpus*, quid per *Mentem* intelligendum ſit, & an non fortaſſis hæc duo Vocabula, uni & eidem Rei aliquando tribuantur.

III. *Quid Corporis nomine intelligendum.*

CORPUS paſſim dicitur Subſtantia in longum, latum, & profundum extenſa; cujus præcipuæ proprietates, *Impenetrabilitas*, *Diviſibilitas*, *Figura*, quibus tanquam formis, ſive Attributis in ejus cognitionem devenimus.

IV. *Quid Mentis.*

MENS vocatur Subſtantia Cogitans, ſive Res facultate cogitandi, aut percipiendi prædita: Cujus formalis ratio in eo potiſſimum ſita eſt, quòd Conſcientiam inferat. In Mente diverſæ Cogitationes reperiuntur; quia *alia* eſt Cogitatio cùm vult, *alia* cùm intelligit, *alia* cùm dubitat, *alia* cùm affirmat aut negat, &c. Et illæ ſunt Formæ, quibus Subſtantia, quæ Mens vocatur, intelligitur.

V. *Mens & Corpus conceptibus planè diſtinguuntur.*

UNDE patet nihil planè in Corporis conceptu includi, quod ad Mentem pertineat; nihilque in Mentis conceptu, quod ad Corpus ſpectet: Ac proinde hæc duo eſſe revera diſtincta; adeò ut ſi una Res ſit materialis, altera ut immaterialis & incorporea ſit, neceſſum eſt. Quid enim hæ duæ Ideæ commune habent? Quid ad earum diſcrimen amplius requiritur, quàm ut una ſine altera concipi queat, vel etiam alterutra ſine comparte & ſocia exiſtere apprehendatur? Ita evidens eſt illorum Oppoſitio, ut quis faciliùs admittat *Hominem* eſſe *Saxum*, Circulum eſſe Triangulum, Codicem eſſe Domum, quàm Cogitationem cum Corpore conſentire, ſeu mate-

materialis naturæ esse participem. Quippe si rogem, cur Homo à *Saxo*, Circulus à *Triangulari figura* discrepet, aliud reponi non potest, quàm quia unum sine alio intelligi potest ; & quamvis in pluribus conveniant, aliquid tamen in illis reperiri, in quo discriminantur.

VI. *Potest haberi Conceptio Mentis, etsi nulla dentur corpora.*

Concedit quidem præclarus Theologus Sectione decima sexta, ex Cogitatione, existentiam nostram legitimè inferri, lubensque largitur, quòd Substantiæ simus Cogitantes ; at negat inde colligi mentem nostram à Corpore esse distinctam. *Quamobrem verò*, inquit, *non cogitet ipsum Corpus ? Quòd inquit* (scilicet Cartesius) *cùm Corpus esse negaverim, isto tamen negato me cogitare scio. At falsò negasti* (*ut probe noris*) *te corpus habere. Cur itaque cùm quòd cogites te esse concluseris, Corpus non sit, quod se esse cogitet ?* Optandum profectò, ut Vir Clarissimus magis sedulò Philosophi ratiocinium perpendisset, & qua ratione discrimen inter Mentem & Corpus collegerit attendere dignatus esset. Scripsit *Cartesius* nos dubitare non posse, quin Mens nostra existat ; quia ex hoc ipso, quod dubitemus, sequitur illam existere : sed interim nos posse dubitare, an ulla *Corpora* existant : Unde collegit & demonstravit istam à nobis clarè percipi, ut rem existentem, sive ut Substantiam, quamvis nullum planè Corpus concipiamus, ac etiam negemus ulla Corpora existere ; ac proinde mentis conceptum non involvere in se ullum conceptum Corporis.

Quod

VII.
Sufficiunt varii de Mente & Corpore conceptus, ut illa diſtincta cenſeantur.

Quod Argumentum adeò mihi evidens apparet, ut nihil illuſtrius ad probandum *Mentem* à *Corpore* diſtingui, adferri poſſe cenſeam. Verùm quia ita Reverendo Domino placet; detur *Carteſium*, cum Homo fuerit, atque vero Corpore conſtiterit, ſe corpus habere; non potuiſſe inficiari; an propterea Corpus cogitare, & à mente indiſtinctum eſſe inferendum erat? Nihil minus. Uti præclarè animadvertit Philoſophus in ſexta Meditatione: Et quamvis fortaſſe (vel potiùs ut poſtmodum dicam pro certo) habeam Corpus, quod mihi valdè arctè conjunctum eſt: Quia tamen ex una parte claram & diſtinctam Ideam habeo mei ipſius, quatenus ſum tantum *Res Cogitans*, non extenſa; & ex alia parte, diſtinctam ideam *Corporis*, quatenus eſt tantùm Res extenſa non cogitans, certum eſt, me à Corpore meo eſſe diſtinctam.

VIII.
Ex eo quod corpus & mens unum compoſitum faciant ſequitur eadem eſſe.

Sed majoris evidentiæ gratia, detur quod Mens & Corpus, quæ omnibus ſuis modis diſſentiunt, ita tamen ſecundùm Naturæ Authoris imperum, ita concordent, ut ex mutatione in *Mente* facta, eodem tempore, mutatio in *Corpore* oriatur; & vice verſa, Corporis mutatio, in Animam mutationem inducat; adeò ut certi eorum modi ſimul ponantur & deſinant; Nihilominùs hæc compoſitionis unitas, non Corporis & Animæ naturam variabit, ſed adhuc diſtincta manere intelligentur. Sic licet quis ſe *Corpus* habere, negare non poſſit, non tamen inde ſequitur Extenſionem & Cogitationem, quæ unum Compoſitum efficiunt, ita inter ſe confundi, ut quicquid uni attribuitur, alteri quoque attributum affirmare neceſſum ſit.

Hæc

Hæc Responsio Clarissimo Viro non satisfacit, urgetque nos de una & eadem Re incompletos conceptus habere posse, ac proinde ex eo quòd mentem, Corpore negato, intelligere valeamus, non sequi ab eo esse separabilem. *Quasi vero*, inquit, *de re quaque conceptus, ut vocas, inadæquatos fabricare non liceat.* Verùm, quandonam id licet? Quoties id nobis lubuerit? nequaquam. Nam cùm Ideæ quas de rebus habemus, à propriis nostris cogitationibus proficiscantur, nec de re aliqua, quæ extra nos est, certi esse possumus, nisi per *Ideas*, quas de illis, in nobis esse experimur; cura adhibenda est, ne Judicia nostra ad Res ipsas referantur, aut illis quicquam positivum affingatur, quod in earum Ideis priùs deprehensum non fuerit. Quare ut cognoscamus an Conceptus nostri per aliquam Mentis abstractionem *inadæquati* sint, sufficit si examinemus, annon illam ex subjecto aliquo magis completo desumpserimus: sed ex aliqua Idea, quam in nobis reperimus, magis completa & perfecta; Atque annon illam per Intellectus abstractionem, ex hac desumpserimus, hoc est, cogitationem nostram ab aliqua ejus *parte* abducendo, quod in ista Idea deprehenditur, ut Animum majori cum attentione applicemus, & magis sedulos ad aliam partem nos præbeamus.

IX.

Quandonam Res per conceptum inadæquatum concipitur?

Sic cùm considero *figuram* aliquam, non cogitando de Substantia, aut Quantitate, cujus est figura, abstractionem mentalem facio, quam postea agnoscere facilè possum examinando annon *Ideam* hanc, quam de *Figura* habeo, desumpserim ab aliqua alia, quam antea habuerim, & cui ita juncta sit, ut licet possit quispiam de una cogitare, altera omissa;

X.

Mens & Corpus non possunt concipi per conceptus inadæquatos.

nequeat tamen illa negari de hac altera, quando de utraque cogitamur. Etenim hoc pacto clarè video Ideam *Figuræ* adjunctam esse ideæ Extensionis, & Substantiæ, quandoquidem impossibile est, ut concipiam Figuram aliquam, negando esse illi Extensionem ullam, aut etiam negando Extensionem hanc esse Substantiæ alicujus. At verò Idea substantiæ extensæ & figuratæ completa est, quia possum illam per se solam concipere, deque illa negare cætera omnia, quorum Ideas habeo. Video autem mihi valde clarum, Ideam, quam habeo de Substantia *Cogitante*, completam esse hoc pacto, nullamque esse in Mente mea Ideam, quæ illam præcedat, aut quæ sit cum illa ita conjuncta, ut nequeam illas rectè concipere, negando unam de alia, talis enim in me nulla esse potest, quin illius conscius sim.

XI. *Vius differt Mens à Corpore, quam substantia à suis modis.*

MANIFESTUM igitur evadit, *Ideas* substantiæ extensæ, & substantiæ Cogitantis esse completas, ac proinde de quacumque non posse Conceptus inadæquatos, quemadmodum Vir Clarissimus voluit, fabricari. Sed pergit: *Tuum ipse corpus sumas, annon in to extensionem concipias, motu & figura non conceptis? An itaque figura & motus à re extensa res sint diversa & separabiles? Figuram concipere potes, non concepto circulo, an itaque in corpore rotundo aliud sit figura, aliud circulus?* Recte infert Vir Eximius Extensionem concipi posse, Motu & Figura non conceptis; quia ea est inter *Substantiam* & ejus *Modos* differentia, ut eam clarè & distinctè absque modis intelligere valeamus, ac proinde si Extensio, quæ Corporis naturam constituit, cognosci queat absque Motu & Figura, quæ sunt

sunt ejus modi, rectè concluditur Extensionem à Motu & Figura distingui. An propterea, *Figura & Motus à re extensa res sunt diversæ & separabiles?* Nihil minus, quia in eo Modorum natura posita est, ut nullo pacto apprehendi queant, quin conceptum Rerum, quarum sunt *Modi*, in idea sua involvant. Exempli causa, si *Saxum* sphæricum fit & moveatur, illius quidem Figura rotunda absque Motu intelligi potest; & è converso ejus Motus absque rotunda Figura. Verum, nec Figuram illam, nec illum motum sine Saxi substantiâ concipere valemus; ac proinde liquet Figuram & Motum non esse *Res* à Saxi substantiâ *diversas & separabiles*. Hinc colligitur Modorum ideas, per mentis nostræ abstractionem dumtaxat, incompletas reddi; quando nimirum illas absque Rebus illis, quarum sunt modi, consideramus. *Substantiæ* autem nequeunt esse non completæ, nec earum ideæ à nobis inadæquatæ reddi possunt, per Intellectus abstractionem.

XII. *Rerum essentiæ alio modo concipi possunt, quàm sunt in se.*

Quod sequitur, fateor à me non ita probè intelligi: *Denique tua ipsa Mens res extensa sit, an inextensa, utrum mavis, de utroque cogitare potes, interim de cogitatione nihil cogitans.* Nam si verum est, non plura, quàm duo summa Rerum genera à Philosophis admitti, unum scilicet Rerum Intellectualium, hoc est, ad *Mentem*, sive Substantiam Cogitantem pertinentium; aliud Rerum Materialium, sive quæ spectant ad Substantiam extensam, sive *Corpus*. Qui fieri potest, ut mens extensa aut inextensa apprehendatur? An arbitratur Vir Clarissimus, à libera Voluntate nostra pendere, quòd Res essentiam suam habeant? Et quæ nobis placuerint Attributa eis assigne-

mùs? Quidni pari modo aſſeram Ignem poſſe eſſe aut calidum aut frigidum? Nihil ad montem referre, an cum valle, aut ſine valle concipiatur? Fateor equidem in iis, quæ mutari poſſunt, & quæ idcirco *Contingentia* vocantur, ut quòd quiſpiam eruditus ſit, alius ignarus, quod Corpore firmo ſit, vel imbecilli, alterutrum iſtorum poſſe illi attribui. In iis autem, quæ ad Rei eſſentiam ſpectant, & quæ ei indiſpenſabiliter competunt, contradictionem implicat dicere, quòd alio modo ſe habere poſſit, & mens, quæ determinatam habet naturam, extenſa ſit, vel inextenſa, cum Cogitatione concipi poſſit, vel ſine Cogitatione; quia ſi inextenſa eſt, neceſſariò *Cogitationem* involvit, & abſque illa intelligi nullatenus poteſt.

XIII. *Conceptus Mentis & Corporis ſunt omnino diſtincti & completi.*

Verum, cùm ad hanc Veritatem validiùs firmandam addidiſſet Carteſius Diſtinctionem realem non ex eo inferri, quòd Res una per Intellectus abſtractionem abſque alia concipitur; ſed ex eo ſolùm, quod unaquæque Res ut completa intelligeretur, ſubjunxit Doctiſſimus Theologus: *At unde hoc probes, aut quem qui contra diſputaverit, tibi daturum putes? Quidni enim incompleti ſint utriuſque* (Mentis ſcilicet & Corporis) *conceptus; ut cùm Corpus tuum rem extenſam, non autem Cogitantem intelligas, non aliud facis, quàm ſi idem ſine erecta figura cogitares.* Nihil hic novi quod ſuperinducam ſuppetit? Ad Regulam ſuprà explicatam Vir Clariſſimus remittendus eſt; nempe non poſſe nos ullam Rerum cognitionem habere, niſi per *Ideas*, quas de illis concipimus; ac proinde debere nos de ipſis ſecundùm iſtas Ideas judicare; adeò ut illud à nobis ut impoſſibile cogitandum ſit, & contra-

tradictionem involvere, quicquid Ideis istis repugnat, & adversatur. Sed *Mens* distinctè & completè, sive quantum sufficit, ut habeatur pro Re completa, percipi potest, sine ulla ex iis formis, sive attributis, ex quibus *Corpus* esse substantiam agnoscimus; & Corpus distinctè intelligitur, atque ut Res completa, sine iis, quæ ad Mentem pertinent: ergo distincti & completi sunt utriusque conceptus. Quoniam ut bene animadvertit *Philosophus* in Responsione ad quartas Objectiones; nullum majus argumentum Distinctionis inter duas Res haberi potest, quàm quod in utramque nos convertamus, nihil planè in ipsa deprehendamus, quod ab altera non sit diversum.

XIV. *Nulla certior inter Res Distinctionis nota, quàm penes conceptus qui de illis habentur.*

Quamvis illud millies ingessero, insinuaveroque nihil in Rebus *positivum* admitti debere, nisi in earum Ideis priùs perceperimus, nihil tamen adhuc apud Virum Eximium præstitero, ni quoque ostendam hanc Idearum diversitatem, ad Rerum *discrimen* sufficere, satque esse ut clarum & distinctum substantiæ Cogitantis conceptum habeamus, in quo nihil eorum, quæ ad Substantiæ Corporeæ conceptum spectant, continetur, ut illam à Substantia Corporea diversam esse pronuntiemus. *Quid autem in re tam levi multa?* inquit, *Cùm corpus rem extensam, mentem rem cogitantem; utramque substantiam esse intellexeris, an verò eadem, an diversa fuerit, tuo solo conceptu non efficies, atque millies lacessitus ut id seriò coneris, nunquam provocarè potuisti.* Non! quid igitur obest? Cur rationem non adfert, quæ contrarium persuadeat? Si ad Rerum discrepantiam non sufficit, quòd unam absq; altera evidenter percipiamus, aliam Distinctionis

ctionis realis notam prodat. An cum *Peripateticis* obtrudet illa realiter differre, quæ separatim ab se invicem existere possunt? Tum urgeo, unde quis novit Rem unam ab alia sejunctam esse posse? Quia non fit est dicere ita fieri, sed necessarium est, ut quod *Distinctionis* signum est, innotescat. Forsitan ad *Sensus*, tanquam ad humanæ eruditionis magistros confugiet, quibus Rem unam, sublata altera intuemur, tangimus, olfacimus, &c. At quis nescit quàm dubiæ fidei sint Sensus, quàm sæpiùs decipiant, & longè minùs de iis certi simus, quæ per illos haurimus, quàm quæ per Intellectum vestigamus. Pluribus enim modis contingit ut eadem Res, sub variis imaginibus nobis obversetur, ut in diversis locis cernatur, & pro duabus sæpe sumatur & appareat. Quid de illis dicendum, qui manu abscissa, *dolorem* in digitis se sentire queruntur, & non rasò dubitamus, an verè eis manus amputata sit.

XV. *Nostræ cognitionis certitudo ab Intellectu pendet.*

QUARE cùm à Sensibus desumenda non sit Cognitionis nostræ certitudo, restat ut ab Intellectu solo Res percipiantur, & aliud non sit Rem unam absque altera sentire, quàm unius rei Ideam habere, atque percipere istam Ideam non esse eandem cùm alterius Idea. Hoc autem aliunde percipi non potest, quàm ex eo, quòd una citra alteram concipiatur; nec potest certò intelligi, nisi utriusque Rei Idea ita evidens sit ac distincta; atque illud realis Distinctionis indicium, ad illud quod assignavit *Cartesius*, ut sit certum reduci debet.

XVI. *Mens ex Augustino, se à Corpore distinctam cognoscit.*

CONSTANS igitur ac immotum manet, Mentem & Corpus à perceptione nostra realem distinctionem sortiri, & penes conceptus, quos

quos de illis habemus, diversa existimari. Nam ut præclarè suggerit *Augustinus* libro de Spiritu & Anima: "Removeat ergo à consi-"deratione sua omnes notitias, quæ per Cor-"poris Sensus extrinsecus capiuntur; quæ "namque Corporalia sunt, eorumque simili-"tudines, sensus, & imaginationes in memo-"riam infixæ, cum recordando remiscun-"tur, ad exteriorem Hominem pertinent: "quanquam istis quasi nuntiis Animæ exteri-"ora percipiat. Mens verò, cui nihil ipsa "præsentius est, interiori, non simulata, sed "vera præsentia videt se in se; nihil enim "tam novit mens, quàm id quod præsto sibi "est; nec magis menti quicquam præstò est, "quàm ipsa sibi; nam cognoscit se vivere, "se memimisse, se intelligere, se velle, cogi-"tare, scire, judicare; Hæc omnia novit in "se, nec imaginatur, quasi extra se illa ali-"quo sensu Corporis tetigerit, sicut Corpo-"ralia quædam tanguntur; ex quorum co-"gnitionibus nihil sibi affingat, ut tale ali-"quid sese putet. Quicquid ei de se remanet, "hoc solum ipsa est, nihil enim tam in Mente, "quàm ipsa Mens, nec quicquam sic mentem "novit, quemadmodum mens. Cùm enim "quærit Mens, quid sit Mens; profectò novit, "quòd ipsa sit Mens, quæ seipsam quærit. Quid illustrius adferri potest, ad ostenden-dum *Mentem* immaterialem esse, ac proinde à *Corpore* penitus diversam?

Caput Undecimum.

Oſtenditur Carteſium, ritè à Dei potentia, Mentis à Corpore diverſitatem deſumpſiſſe.

I. *Ex eo quòd Mens & Corpus ſejuncta concipi poſſint, à Deo ſeparari poſſunt.*

QUAMVIS nullum certius realis Diſtinctionis argumentum afferri poſſit, quàm quòd Res una abſque altera perſpicuè & diſtinctè percipiatur; Nihilominus ne quis ad libitum fingeret *Mentem* & *Corpus*, ita Naturæ Authoris imperio eſſe unita, ut prorſus inſeparabilia haberentur; Carteſius per Demonſtrationem oſtendere nititur, Deum ſuæ poteſtate, duas illas Subſtantias qualicumq; vinculo connexas ſejungere poſſe; ac proinde Mentem & Corpus eſſe realiter diſtincta. Demonſtrationem his verbis inſtituit: Quicquid clarè percipimus, à Deo fieri poteſt, prout illud percipimus: ſed clarè percipimus *Mentem*, hoc eſt, Subſtantiam Cogitantem abſq; *Corpore*, hoc eſt, abſq; Subſtantia aliqua extenſa; & vice verſa, Corpus abſque Mente, ut facilè omnes concedunt: Ergo ſaltem per Divinam potentiam Mens eſſe poteſt ſine Corpore, & Corpus ſine Mente. Major propoſitio ex jam dictis manifeſta eſt, ex eo quòd omnia, quæ ego percipio, à Deo quoque percipiantur, & conceptus meus nonnulla ſit Conceptus Divini repræſentatio. Unde hoc pacto argumentor: Id omne quod clarè concipimus, id ipſum *Deus* concipit, ſive eſt in ejus conceptu, modo tamen illuſtriori & diſtinctiori, quàm in noſtris conceptibus: ſed

quæ

quæ Deus concipit, & quæ ideò eſſentiam Veritatemque in ſuis conceptibus habent, ab eo fieri poſſunt: Igitur quicquid clarè percipimus, à Deo fieri poteſt, prout illud percipimus. Minor quoque ex præcedentibus evidens eſt, cùm de *Mentis* propriæ exiſtentia ambigere non valeamus, quamvis omnia, quæ à *Senſibus* unquam hauſimus, falſa eſſe ſupponantur: Ergo clarè percipimus Subſtantiam Cogitantem abſq; Corpore, & viciſſim Corpus abſque Subſtantia cogitante. Jam verò Subſtantiæ, quæ eſſe poſſunt una abſq; alia realiter diſtinguuntur: atqui Mens & Corpus ſunt Subſtantiæ, quæ una abſque alia eſſe poſſunt; Ergo Mens & Corpus realiter diſtinguuntur.

II. *Quocumq; nexu uniantur mens & corpus, poſſunt à Deo ſeparari.*

Hinc hoc ratiocinio, quorundam argumentum tollitur, qui licet libere fateantur Mentem & Corpus poſſe ſeparatim concipi, *dubitationem* tamen ingerunt, an Deus ita illa univerit, aut tam arcto glutine inter ſe conjunxerit, ut ſint prorſus inſeparabilia: quia quaſicumque vinculo aut glutine ea *Deus* copulaverit, certi ſumus illum poſſe *ea* ſeparare, & ſic abſolutè loquendo eſſe ſeparabilia; quandoquidem mihi hanc facultatem indidit, illa ut ſejuncta concipiendi. Idem de iis omnibus, quorum diverſas & compleras Ideas habemus, dicendum eſt, alias Deus impoſtor foret, nec ullam Certitudinis Regulam haberemus, ex qua Veritas nobis conſtare poſſet.

III. *ut motus & figura abſque corpore concipi poſſunt.*

Verum, quicquid in hujus Veritatis aſſertionem adferri poteſt, præſtantiſſimo Theologo non arridet, & tanquam ebullientis Cerebri phantaſma aſpernatur. *Futilia ſunt omnia, & penitus pro libidine ſumpta. An non motum abſque figura clarè & diſtinctè intelligis, & figuram abſque motu, & utrumque abſque corpore?*

pore? Neutrum tamen neque à se neque ab isto seorsim poni posse ab ipso Deo non minus clarè & distinctè intelligi. Duo his verbis Vir Clarissimus complectitur, & quæ majoris explicationis gratia, seperatim juvat examinare. *Primum*, Motum absque Figura & vicissim Figuram absque motu evidenter & distinctè intelligi. *Secundum*, Motum & Figuram non talem habere à Corpore, cui insunt, dependentiam, quin ab eo perspicuè concipi etiam queant.

IV. *Figura & Motus non realiter, sed modaliter tantùm ab invicem distinguuntur.*

Quantum ad *primum* animadvertendum est, non eodem modo nos Figuram & Motum intelligere, quo Extensionem & Cogitationem; quia licet Motus absque Figura, & vice versa Figura absque Motu distinctè concipiantur per Intellectus *abstractionem* rem inadæquatè concipientis; Non autem ita distinctè & seorsim ut utrumquodque eorum, tanquam ens per se, & ab omni alio diversum intelligamus. Admittimus quidem inter Figuram & Motum distinctionem *modalem* interjacere: sed eam talis Distinctio, non nisi ad entia incompleta se extendat, nunquam efficiet, ut Motus, aut Figura, ab omni alio ut quid diversum intelligatur, sed ad hoc Distinctio realis omnino requiritur.

V. *Motus & Figura extra subjectum concipi non possunt.*

Quoad secundum, omnino falsum est, *utrumque* Motum scilicet & Figuram absque Corpore clarè & distinctè posse intelligi. Nam licet Figuram absque Motu, & Motum absq; Figura, & utrumque à Corpore abstrahendo, optimè intelligere possimus, non tamen possumus, completè motum intelligere absque Substantia, in qua sit Motus; nec Figuram absque Substantia, in qua sit Figura; nec denique fingere Motum esse in subjecto, in

quo

quo Figura esse non possit, vel Figuram in Subjecto Motus incapaci. Nam ponamus nullum in Mundo Corpus mobile reperiri, quis nobis persuadere poterit, aliquid *rotundum* esse, quemadmodum sine ulla Animi luctâ, concipere possumus Rem, quæ cogitat, etiamsi aliquid in Mundo extensum esse infitiemur. Imo completè intelligo quid *Corpus* sit, imaginando tantùm illud esse extensum, mobile, figuratum, &c. neque illo negando omnia ea, quæ ad *Mentis* naturam spectant: Et vicissim *Mentem* intelligo Rem esse completam, quæ dubitat, quæ intelligit, quæ vult, &c. quamvis in ea quicquam ex iis negem, quæ in *Corporis* Idea continentur. Quare quum Figura & Motus enim sint tantùm incompleta, & non nisi per Intellectus abstractionem concipiantur, mirum non est, si *neutrum ab isto*, (Corpore) *seorsim poni posse ab ipso Deo clarè & distinctè intelligamus.*

VI. *Cogitatio & Extensio non ejusdem rei inadæquati conceptus.*

Pergit nihilominus Vir Eximius, & quæ de inadæquatis Motus & Figuræ conceptibus diximus, ad Mentem & molem Corpoream transfert. Contendit enim Conceptuum diversitatem, non semper Rerum diversitatem arguere, cùm fieri possit, ut ad Rem eandem, sub vario respectu referantur. *Atutè profectò, atque ipsâ Rei solertiâ tibi aures omnium devinctas tenuisti. Sic ergo gravi vultu in scenam prodis: Ito cogitare novi, rem autem cogitantem à mole corporea diversam esse, quod diversi de iis habeantur conceptus. Quo cùm processeris spe nostra delusi exclamamus non diversos fortè esse diversarum rerum sed incompletos ejusdem rei conceptus.* Quibus verbis, non positivè negat haberi completos Mentis & Corporis conceptus, sed *fortè* tantùm aliter posse contingere,

ut

ut qui de Intellectuali & Extenſa cogitant, incompletos ejuſdem Rei conceptus formare queant. Sed quam obtrudit difficultas, facilè tolletur, ſi attendatur quid per *Rem completam* à Philoſophis paſſim intelligatur, Subſtantia nempe iis formis, ſive attributis inſtructa, quæ ſufficiunt ut ex eis ipſa eſſe Subſtantia cognoſcatur. Quippe Subſtantiæ non immediatè apprehenduntur, ſed ex eo dumtaxat, quòd quaſdam formas ſive Attributa percipiamus, quæ cum alicui Rei ineſſe debeant, ut exiſtant, Rem illam, cui inſunt, Subſtantiam vocamus.

VII. *Res clarius cognoſcuntur, quo plura attributa in iis deprehenduntur.*

HINC quo plura novimus Rei alicujus attributa, eo clariùs illam intelligimus; ad eum modum, quo illos Homines magis novimus, quibuſcum diu conviximus, quàm eos, quorum vultum tantùm intuiti ſumus, aut nomen audivimus. E diverſo ſi illam eandem Subſtantiam iis Attributis, ex quibus illam cognoſcimus, nudare vellemus, omnem prorſus notitiam de ea deſtruemus, atque ita voces quidem aliquas de ipſa proferre poſſemus, ſed quorum ſignificationem non clarè & diſtinctè perciperemus. Sic *Oculus* ſubſtantia eſt completa, ſi ſolus conſideretur, incompleta verò eſt ſubſtantia, ſi ad totum *Corpus*, cujus pars eſt, referatur. Pari modo Mens & Corpus Subſtantiæ ſunt incompletæ, ſi in ordine ad *Hominem*, quem componunt, ſpectentur; ſunt verò completæ, ſi ſolæ ſpectentur, hoc eſt, ſi iis Attributis indutæ conſiderentur, quæ illi peculiaria ſunt ac propria. Quare concludendum eſt, conceptus, qui de Mente & mole Corporea habentur, non *fortè* incompletos eſſe ejuſdem Rei conceptus, ſed Rerum diverſarum, & quarum Attributa ſeu Formæ omnimodè diſcrepant.

SICUT

VIII. *ut Attributa à modis distinguuntur.*

SICUT abyssus abyssum invocat, & Res rem trahit, ita Viro Clarissimo placet, novas difficultates excitandi, & quamvis sat rectè *Cartesii* Sensum, prout auguror, apprehendat, recentes tamen conflictus amat, & veluti ingenium saperet, plura comminisci, quædam proponit, quæ proprio Marte solvere poterat, ni id ab altero audire expectasset. Quippe nihil faciliùs fuit ex Cartesio, data, quam ipse attulit, Rei Completæ definitione, colligere Rem incompletam dici, quæ non ut existens consideratur, & quæ ab alia non nisi per Intellectus abstractionem, distincta concipitur; Nihilominus ita quærit, *At isto pacto dicas utinam quid sit rem esse incompletam, cùm nullum attributum concipi possit, quin rem, cui insit, substantiam esse agnoscas, quod ab omni substantia nequeat esse secretum.* Etsi interdum per modos idem intelligatur, quod per Attributa, vel Qualitates, non tamen idem est *Modus* quod *Attributum*; Nam quicquid alicui Rei à natura tributum esse intelligimus, sive Modus sit, qui variari potest, sive ipsamet istius Rei planè immutabilis essentia, id ejus Attributum nuncupamus. Ideo in Deo non Modos aut Qualitates, sed *Attributa* tantùm esse dicimus, quia nulla mutatio est in eo intelligenda. Sic unum ex Attributis cujuslibet Substantiæ, est quòd per se subsistat. Sic *Corporis* alicujus extensio, varios quidem in se modos recipere potest, quippe alius ejus modus est, si Corpus istud *triangulare* est, alius si *quadratum*: attamen Extensio illa, quæ illorum modorum basis est, si in se consideretur, non est Substantiæ Corporeæ modus, sed Attributum, quod illi inest, atque ejus naturam constituit. Sic denique varii

sunt

ſunt Cogitationis Modi, ut *affirmare*, *negare*, &c. Verùm Cogitatio ipſa, ut eſt principium internum, ex quo omnes Modi iſti proficiſcuntur, non ut modus concipitur, ſed ut Attributum, quod Subſtantiæ alicujus eſſentiam conſtituit.

IX. *Modi res ſunt incompletæ, non autem Attributa.*

Unde patet, quòd etiamſi nullum Attributum concipi poſſit, quin Res, cui ineſt, cognoſcatur & ab omni Subſtantia ſeparatim eſſe nequeat, non tamen omne Attributum eſſe rem incompletam, ſed modos duntaxat, quorum Ideæ, ut ante dictum eſt, per noſtræ Mentis abſtractionem incompletæ reddantur; quando nimirum illos ſine Re illa, cujus ſunt Modi, conſideramus. *Extenſio* enim, quæ præcipuum eſt Subſtantiæ Corporeæ attributum, & *Cogitatio* Incorporeæ, non illis tanquam ſubjectis à ſe diverſis inſunt, cùm ſubſtantia Extenſa aliud non ſit, quàm Corpus, & ſubſtantia Cogitans aliud quàm Mens. Nam non ex eo quòd Res alteri tribuitur ſtatim inferendum eſt, eam quid eſſe, ab illa, cui tribuitur re ſive ſubſtantia diverſum: ut in Attributis Divinis manifeſtum apparet, quæ ab ipſo Deo aliquid diverſum non ſunt; cùm unam & eandem naturam conſtituant.

Caput

Caput Duodecimum.

Solam Mentem, hoc est, Substantiam Spiritualem, non autem Corpus posse cogitare.

QUAMVIS non ægrè admittat Vir Clarissimus, ex Cogitatione nostra, Existentiam nostram legitimè inferri, & fieri nequaquam posse, ut alicujus operationis conscii simus, quin inde nos *Cogitantes* esse judicemus, persuaderi tamen nequit, cogitandi Facultatem, quam in nobis experimur, soli *Menti* competere, sed posse quoque ipsi moli corporeæ impertiri. Nam si nulla Menti & Corpori, quemadmodum ostendere nititur, distinctio interjacet, si uno posito, alterum perinde poni necessum est, atque si completi de ipsis conceptus haberi nequeunt, quidni iisdem privilegiis fruantur, & quæ Mens possidet, Corpus etiam obtineat? *Quamobrem verò*, inquit, *non cogitet ipsum Corpus? Quod*, inquit, (scilicet Cartesius) *cùm corpus esse negaverim, isto tamen negato me cogitare scio. At falsò negasti (ut probè noris) te corpus habere. Cur itaque cum quòd cogites te esse concluseris, Corpus non sit, quod se esse cogitet.*

I. *Quæritur cur Corpus quemadmodum Mens cogitare non possit.*

QUARE mihi nunc ostendendum incumbit, ut postquam reale inter Extensionem & Cogitationem *discrimen* duobus præcedentibus Capitibus asserui, eorundem actuum subjecta esse non posse demonstrandum aggrediar.

II. *Cogitationis natura consistit in conscientia, seu Cognitione interna.*

grediar. Quod ut faciliùs exequar, hîc breviter ſupponam *Cogitationis* vocabulo non aliud à nobis intelligi, quam Perceptionem, Conſcientiam, Cognitionem internam, quam unuſquiſque noſtrum per ſe ipſum immediatè percipit, quando ejus conſcius eſt, quod agit, vel quod in ipſo perficitur, quemadmodum tradit *Carteſius* prima parte principior. Art. 19. Cogitationis nomine, intelligo omnia, quæ nobis conſciis in nobis fiunt, quatenus eorum in nobis conſcientia eſt. Atque ita non modo intelligere, velle, imaginari, ſed etiam ſentire, idem eſt hîc quod cogitare; in quantum ſentire ad conſcientiam refertur; quoniam tunc ſolam Mentem reſpicit. Hæc Cogitationis Idea, adeò Menti eſſentialis eſt, tamque intimè illi conjungitur, ut ſicut ab illa divelli nequit, ita Rei alteri ab ea diſtinctæ convenire non poteſt.

III. *Cur Corpus Cogitationis capax non eſt.*

QUAMOBREM *vero, non cogitet etiam ipſum Corpus*; ſive ſi Mentem Viri Clariſſimi bene interpretor, quam ob cauſam Extenſio, Quantitas, Motus, Quies, Figura, partium Situs, quæ in eo reperiuntur, vim percipiendi, volendi, imaginandi, amandi, deſiderandi, &c. non habent? Quid ſi forſitan Res Cogitans aliud non ſit, quam Corpus, ſive eorum omnium complicatio?

IV. *Actus Cogitativi omnino diſtincti ſunt ab Actibus Extenſionis.*

RESPONSIO ex jam dictis evidens eſt: cùm enim Subſtantia non per ſeipſam immediatè intelligatur, ſed per hoc dumtaxat, quòd quorundam Actuum ſubjectum ſit; Ratio poſtulat, imo uſus ipſe jubet, ut *Subſtantias*, quas diverſorum planè Actuum ſubjecta eſſe deprehendimus, diverſis nominibus nuncupemus; atque ut poſtmodum attentè conſideremus, utrum voces illæ diverſæ, unam & eandem

eandem Rem significent. *Actuum* autem quidam sunt quos Corporeos appellamus; ut *Magnitudo*, *Figura*, *Motus*, *Quies*, & cætera omnia, quæ citra localem extensionem à nobis intelligi non possunt. Quippe fingere non possumus aliam esse Substantiam, quæ Figuram recipit, aliam, quæ Motum localem. Dantur præterea *Actus* alii, quos Cogitativos appellamus, ut *percipere*, *velle*, *imaginari*, &c. qui omnes sub communi ratione Cogitationis, sive conscientiæ conveniunt, atque Substantiam, cui insunt, Rem Cogitantem, sive Mentem dicimus, aut alio quolibet vocabulo, modò ne ipsam cum Substantia Materiali confundamus. Quoniam Actus cogitativi nullam prorsus habent cum corporeis Actibus similitudinem aut convenientiam, & Cogitatio, quæ communis est earum ratio, toto genere ab Extensione discrepat, quæ aliorum ratio est communis.

V. *Ac proinde Cogitatio nullo modo potest cori convenire.*

His rite perpensis sponte trahimur ad asserendum, Cogitationem Corpori non posse competere; quia si nulla Corporis & Mentis *actuum* affinitas interponitur; si esse conscium & esse extensum toto genere differunt, quo titulo, cogitandi Vim Rei corpoream assignabimus? Qui illi perceptionem, Imaginationem tribuemus, si ejus, quem de illa formamus, conceptui hæ proprietates extraneæ sunt, & illius Modi Cogitantis Substantiæ modos excludant? Hinc *Cartesius* cuidam objicienti Cogitationes quosdam esse Corporis Motus respondit, Parte secunda Epistolarum Epist. LII. Æquè verisimile esse, atque si quis Ignem esse glaciem, aut album esse nigrum diceret. Non enim habemus *albi* & *nigri* magis diversas Ideas, quàm *Cogitationis*

& *Motus*, cùm nullam aliam viam habeamus, qua cognoſcamus utrum duo ſint diverſa, an verò unum idemque, quàm conſiderando utrum diverſas duas Ideas de illis, an verò unam tantùm habeamus.

VI. *Oſtenditur Corpus non poſſe Cogitationem elicere.*

Sed ut ad Rem preſſiùs accedamus, oſtendamus Cogitationem non poſſe Rei extenſæ, ſeu Subſtantiæ Corporeæ opus eſſe. Quippe quaſlibet Figuras Materiæ aſſignato, & ut nihil intentatum remaneat, illius partes pro lubitu compingito, agitato, dividito, & in exiliores quantumvis comminuito; An putas ex his *Mutationibus* Cogitationem unquam adfuturam? Si id non ſuccedat, craſſiorem Materiæ maſſam elige, & ſi quam Figuris *virtutem* eſſe exiſtimas, ſphæricam, cubicam, quadrangularem, ſexagonam, aliamve imprime, an cujuſdam earum gratia, Cogitationem elicies? Negabis, ut opinor, & nullam hac vi pollere dices, Eam utique, quæ ad humani Corporis figuram, partium, membrorumq; contextum accedit. Sed quia ſunt, qui *Animam*, ſeu Subſtantiam Cogitantem, inſtar Venti, Ignis, vel ſimilis rei ſubtilis ac tenuis, craſſioribus humani Corporis partibus infuſæ imaginantur, finge ſubtiliſſimam materiam in Myriadas innumeras quantumvis tenues, figura & motu ad arbitrium prædiras, mox fac ut per Cerebri meatus, variis modis in rectum, in obliquum tranſmittantur, ſic ut earum agitatione, membrorum externorum motus ſequatur; an hoc pacto, Cogitationem oriri poſſe exiſtimas? Si affirmes, cur non idem de ſpiritibus animalibus dicendum eſſe opinaris, dum è Corpore humano elapſi, in Aëre vagantur, & tum in rectum, tum in obliquum feruntur.

PRÆTEREA, quis credat, quòd ſpiritus, qui certo ritu, per Cerebri amfractus deducuntur, & magis *recto*, exempli cauſa, quam obliquo tendunt, cogitent, hoc eſt, velint, nolint, affirment, negent, &c. Imo Deum venerentur, Proximum ament, Virtutes exerceant, Vitia abominentur? Quis integræ mentis Vir ſibi perſuadebit; ut cum *Deus* mortalibus imperat, ut *eum* diligant, laudent, noſcant, contemplentur, ei fidem præſtent, ei obtemperent, nihil aliud jubeat, quàm ut ſubtiliſſima Sanguinis noſtri portio tali temperie imbuatur; agilis ſit, aut lenta; abundet aut deficiat, vel ut hoc aut alio modo concutiatur, aut quieſcat. VII. *Materia motu ſibi impreſſo nihil cogitationis molitur.*

ROGET nunc præclarus Vir, *quamobrem verò non cogitet ipſum Corpus?* aut, *cur cùm quòd cogites te eſſe concluſeris, Corpus non ſit, quod ſe eſſe cogitet?* Quandoquidem ita à communi Hominum ſenſu alienum eſt, quòd Materia ſit perceptionis capax, ut ſe delirare, & ſpectris ſe delectari, ipſo facto prodat, qui illud aſſerit. Denique ſæpius ſupra inſinuatum eſt, ad Corporis naturam ſpectare, quòd tribus Dimenſionibus conſtet; ſive quòd ſit longum, latum, profundum, diviſibile in in partes: Verùm, hæc Animæ noſtræ, quæ eſt *Res Cogitans*, attribui non poſſunt, quoniam neque Intellectio, ſeu Perceptio, neque Volitio, neque Dubitatio, neque Affirmatio vel, Negatio, neque ulla alia Cognitionis ſpecies, longa, lata, profunda intelligi, vel in partes dividi, vel pedibus, ulnis, paſſibus, &c. menſurari poteſt; igitur *Cogitatio* nullatenus ad *Corpus* pertinet. Nam quis valenti adeò ingenio, qui Cogitationis partem aliquam majorem, minorem, ſphæricam, quadratam VIII. *Cogitatio expers eſt dimenſionis cujuſque.*

concipiat? Quis unum ejus partem in alterius locum transponi apprehendat? Quæ tamen omnia in quolibet Corpore clarè & distinctè concipiuntur.

IX. *Ac proinde nihil, quod ad materiam spectat, includit.*

Si cùm Gassendo dicas, *Etiamsi Cogitationem de meipso habeam, nescire tamen utrum ista Cogitatio sit actio corporea, aut Atomus, quæ moveatur, potiùs quàm substantia Immaterialis.* Respondet Philosophus ad Instantias in secundam Meditationem: Judicas te esse Hominem, quia in te omnia deprehendis, propter quæ eos, in quibus illa reperiuntur Homines vocas, sed qui scis annon sis Elephas potiùs quàm Homo, aliquibus aliis, quas ignoras, de causis? Nam postquam *Substantia*, quæ cogitat, se Intellectualem esse judicavit, quia in se omnes substantiarum Intellectualium proprietates observavit, & nullas quæ Corpori conveniant animadvertere potuit, ex ipsa adhuc quæritur, quomodo noverit annon sit Corpus potiùs quàm Substantia Immaterialis.

X. *Cogitatio non potest dici modus Corporis.*

Forsitan quorundam sententiæ Eruditissimus Theologus suffragatur, qui autumant Mentem quoddam eidem subjecto Attributum esse posse, cùm Extensione conveniens; ac proinde Cogitationem aliud non esse, quàm Rei Extensæ modum. Nam quid aliud sibi vult, dum ait: *Quidni enim incompleti sint utriusque conceptus; ut cùm corpus tantùm rem extensam, non autem cogitantem intelligas, non aliud facis, quàm si idem sine erecta figura cogitares.* Sed erecta figura, respectu Rei extensæ est *Modus*: Ergo qui rem Extensam absque Cogitatione intelligit, nihil aliud agit, quàm si Rem sive Substantiam sine Modo consideraret. At, non probè naturam Modi intel-

intellexisse videtur Vir Clarissimus, quæ in hoc consistit, ut licet *Rem* absque illo facilè apprehendamus; non tamen è diverso, *Modum* clarè agnoscere possimus, ni simul Rem, cujus est Modus, simul concipiamus. Verùm, perspicuè & distinctè intelligo Cogitationem sine Extensione, & vice versâ, Extensionem sine Cogitatione: Igitur Cogitatio non est Rei extensæ Modus. Sed aliquid Eximio Viro largiamur, & non de verbis contendamus, ubi iis à communi significatione tantillum deviantibus, verus sensus elici potest. Demus, inquam, *Cogitationem* eandem substantiam esse cum Corpore, & non nisi ab eo modaliter distingui; si Substantiæ nomine, conceptum illum generalem *Entis* per se existentis intelligat, qui Menti & Corpori communis est, & illi contra ordinarium loquendi modum, lubeat Cogitationem, quâ conceptus ille impletur, ut mentem referat, modum appellet, non est, quòd illi tantopere obluctemur, modò aliis nominibus, quàm quæ passim receptæ sunt, se uti fateatur, ne inde inter Res ipsas confusio natiatur. Verùm, quicquid moliatur, nunquam efficiet, ut *Cogitatio* & *Extensio*, quas Modos vocat, inter se conveniant, nisi in generali hac ratione, quod *Entia* sint per se, sed semper hæc ab altera planè diversa manebit, imo una ab altera seponi & negari poterit. Hinc sequitur Cogitationem & Extensionem, quocumque nomine insigniantur, tantum inter se discrepare, quantum Res ulla ab alia concipi potest distincta.

XI. *ut Corpus & Mens distinguuntur, per similitudinem Trianguli semicirculo inscripti. Primo.*

Si fortè cum *Authore* quartarum Objectionum urgeat Vir Clarissimus; unde nobis constare potest, non decipi, dum à Mentis essentia Corpus excludimus; quippe ad Distinctionem

nem realem non ſufficere videtur, quòd unius rei notitia parari queat abſq; alterius notitia; Nam qui certò novit *Angulum* in ſemicirculo rectangulum eſſe, ambigat verò, imo ſophiſmate deluſus neget quadratum baſis rectanguli æquale eſſe quadratis laterum, non tamen ei inferre licet dari poſſe *Triangulum*, cujus baſis quadratum æquale non ſit quadratis laterum. Imo etiam ſi quis neget, quod illius baſis quadratum ſit æquale quadratis laterum, certus, tamen manet, quòd ſit *Rectangulus*, & clara diſtinctaque remanet in ejus Mente notitia, quod unus ex ejus Angulis ſit rectus, quo ſalvo, ne quidem Deus efficere poteſt, ut non ſit rectangulus. Reſpondet Philoſophus, quantum ad exemplum, multis modis differre. Nam primo, etſi *Triangulus* fortè in concreto accipi queat pro Subſtantia nimirum, figuram Triangularem habente; certè proprietas habendi quadratum baſis æquale quadratis laterum, non eſt ſubſtantia, nec proinde unumquodque ex iis duobus intelligi poteſt, ut Res completa, quemadmodum Mens & Corpus intelliguntur: nec quidem Res vocari poteſt, eo ſenſu, quo dixit, *ſatis eſſe, quòd poſſim unam Rem (nempe rem completam) abſque altera intelligere.* Quia non aſſeruit Facultates eſſe Res, ſed ipſas accuratè à Rebus ſive ſubſtantiis diſtinxit.

XII. *Secundò.* SECUNDO, clarè & diſtinctè poſſumus intelligere *Triangulum* in *Semicirculo* eſſe rectangulum, abſque eo quòd advertamus ejus baſis quadratum æquale eſſe quadratis laterum; non tamen ita poſſumus clarè intelligere *Triangulum*, in quo baſis quadratum ſit æquale quadratis laterum, quin ſimul advertamus eſſe rectangulum; Atqui & Mentem ſine Corpore,

& Corpus ſine Mente clarè & diſtinctè percipimus.

XIII. *Tertio.*

TERTIO, quamvis conceptus *Trianguli ſemicirculo* inſcripti, talis haberi poſſit, ut in eo æqualitas inter quadratum baſis, & quadrata laterum non contineatur, non poteſt tamen haberi talis, ut nulla proportio inter baſis quadratum, & quadrata laterum ad hunc *Triangulum* pertinere intelligatur; ac proinde quamdiu ignoratur qualis ſit iſta proportio, nulla de eo poteſt negari, niſi quam clarè intelligamus ad ipſum non pertinere, quod de proportione æqualitatis nunquam poteſt intelligi. Sed nihil planè in *Corporis* conceptu includitur, quod ad *Mentem* pertineat, nihilq; in conceptu Mentis, quod pertineat ad Corpus.

XIV. *Diſtinctio inter Mentem & Corpus; & inter quadratum baſis & quadratum laterum.*

ITAQUE quamvis dixerit Carteſius, *ſatis eſſe, quod poſſim unam rem abſque altera clarè & diſtinctè intelligere*, &c. Non ideò poteſt ſubſumi; at clarè & diſtinctè intelligo hunc *Triangulum*, &c. Primò, quia proportio inter quadratum baſis & quadrata laterum, non eſt *Res* completa. Secundò, quia non clarè intelligitur iſta proportio æqualitatis, niſi in Triangulo rectangulo. Tertiò, quia ne quidem Triangulus diſtinctè intelligi poteſt, ſi negetur proportio, quæ eſt inter quadrata ejus laterum & baſis.

XV. *Quid unitas naturæ & compoſitionis ſit.*

EX dictis manifeſtum evadit, *Quamobrem non cogitet ipſum Corpus, & Corpus non ſit, quod ſe eſſe cogitat.* Quia quemcumque *Motum* corporeum, cui cogitationis nomen tribuas, aſſignaveris, fateri cogeris à Cogitatione eſſe diverſum: Nam cùm Ideæ, quas de illis habemus differentes ſint, neceſſum quoque eſt, ut unum ab alio diſtinctum apprehen-

dannus: quamvis propter consuetudinem diversas proprietates, quibus nulla affinitas intercest, uni & eidem Substantiæ assignandi, contingere possit, ut dubitem, vel etiam ut asseram me esse unum & eundem, qui cogito, & loco moveor. Etenim observandum est, duobus modis ea, quorum diversas habemus Ideas, pro una & eadem Re sumi posse: nempe vel *unitate* & identitate *Naturæ*, vel tantùm *unitate Compositionis*. Ità exempli causa, non eandem quidem habemus ideam Figuræ & Motus: ut neque eandem habemus Intellectionis & Volitionis; neque etiam Ossium & Carnis, neque Cogitationis & Extensionis: Atqui nihilominus clarè percipimus illi eidem Substantiæ, cui competit ut sit figurata, competere etiam ut possit moveri, adeò ut figuratum & mobile sit unum & idem unitate Naturæ; itemque rem Intelligentem & volentem esse etiam unam & eandem unitate Naturæ. Non autem idem percipimus de *Re*, quam consideramus sub forma ossis, & de *Re*, quam consideramus sub forma Carnis, nec idcirco possumus illas pro una & eadem Re sumere unitate Naturæ, sed tantum unitate *compositionis*, quatenus scilicet unum & idem Animal est, quod habet Ossa & Carnes.

XVI. *Cogitatio & extensio sunt tantum una unitate compositionis.*

Jam verò quæstio est, an Rem Cogitantem & Rem Extensam perspiciamus esse unam & eandem unitate *Naturæ*, ità scilicet, ut inter Cogitationem & Extensionem, aliquam talem affinitatem, sive connexionem inveniamus, qualem inter Figuram & Motum, vel Intellectionem & Volitionem advertimus, ut potiùs dicantur tantùm esse unum & idem unitate *Compositionis*, quatenus in eodem Homine reperiuntur, ut ossa & carnes in eodem Animali,

mali, quod ultimum *Carteſius* affirmat, quia Diſtinctionem, ſive diverſitatem omnimodam inter naturam Rei extenſæ, & Rei Cogitantis, non minùs quàm inter Oſſa & Carnes animadvertit.

XVII. *Concluditur Corpus incapax eſſe cogitationis.*

QUARE cùm illud, quod cogitare poteſt, Mens ſit, ſive Mens vocetur, atque Mens & Corpus realiter diſtinguantur, ac proinde nullum Corpus ſit Mens, nullum Corpus poteſt cogitare.

Caput Decimum Tertium.

Deus ſub nullâ ſpecie, aut Forma materiali, Menti noſtræ occurrit.

I. *Carteſius inter alias Ideas, Dei Ideam in ſe reperit.*

UBI Carteſius *Mentem* ſuam contemplando, ejus exiſtentiam intulit, & ejus perfectionibus probè intentus, ad eam, non autem ad ejus *corpus* Cogitationem ſpectare demonſtravit; illius penetralia intimiùs perſcrutatus, alias Rerum imagines ſibi ſponte obverſari deprehendit; non earum dumtaxat, quæ per *Senſus* Animo ingeruntur, ſed illarum etiam, quas ſpirituales vocamus, & quæ abſque ulla ſpecie Corporea Mentem noſtram penetrant. Sed nullam clariorem diſtinctioremque, quam de *Deo* cogitationem reperit, quæ cùm à ſeipſo tanquam à Cauſa exemplari proficiſci nequeat, omni dubitatione poſtpoſita, Deum neceſſariò exiſtere aſſeruit. Nam quamvis, inquit, *Meditatione tertia*, Subſtantiæ quidem Idea in me ſit ex

hoc

hoc ipſo, quòd ſim Subſtantia, non tamen idcirco eſſet idea Subſtantiæ Infinitæ, cùm ſim finitus, niſi ab aliqua Subſtantia, quæ revera eſſet Infinita procederet.

II. *Quid Ideæ vocabulo eſt intelligendum.*

Hæc aſſertio mirum in modum Eximio Theologo diſplicet, & tantùm non Carteſio, initio Sectionis decimæ nonæ, improperat, quòd id efferre auſus ſit. *Tunè verò*, inquit, *illius Ideam in te habere jactitas? Noſti, quid ſit Idea? Quas Latini verum formas, Græci* Ἰδέας *vocant.* Revera Ideæ nomen adeò ſimplex eſt, omnibuſque ita evidens, ut per alias voces magis perſpicuas, vix explicari poſſe videatur. Nam cùm ſimplex ſit, ac per ſe notum, obſcurius reddi neceſſum eſt, quando Definitio accedit, & quædam vocabula ad majorem ejus claritatem adhibentur. Sed quia tam vehementer urget Vir Clariſſimus, quid *Idea* ſit, & an illa à *Philoſopho* noſcatur, paucis exponam, quid per Ideam *Carteſius* intellexerit. Satis manifeſtum eſt ex præcedentibus, Mentis humanæ naturam in *Cogitatione* conſiſtere, atque varias ac ſingulares Cogitationes, Mentis noſtræ *Modos* vocari; quemadmodum varias rei extenſæ ſive Corporis figuras, illius Modos appellamus. Cùm verò Modi illi cogitandi aliud non ſint, quàm Animi *Conceptus*, illos Ideas dicimus, ac proinde ut aliqua Definitionis ſpecie utamur: *Ideæ* ſunt Forma unjuſcujuſque noſtrarum Cogitationum, cujus immediata perceptione, earundem Cogitationum cognitionem habemus; Adeò ut nihil verbis exprimere poſſumus, quando id quod dicimus, intelligimus, quin ex hoc ipſo evidens ſit, nos in nobis Rei per verba *Significatæ* Ideam, ſeu notionem habere. Concedat igitur Vir Doctiſ-

ſimus

simus nosse *Cartesium* quid sit Idea, & quæ illæ sint Rerum formæ quas Græci, Ἰδέας vocant.

VERUM quid eo dato sequitur; *Tu igitur*, inferes, *quâ forma, quave specie sit immensa Numinis Majestas intelligis? Si intelligere te ais, aut figura quadam non descripseris, aut fundo non explicaveris.* Fateor equidem, neque Me, neque *Cartesium*, nec quenquam alium, qui rectè Philosophatur, posse hoc pacto Deum intelligere. Enimvero quis Deum sub aliqua *figura* sibi, aut aliis unquam repræsentare potest? Quis dicet Corporis *modum* posse nobis spiritualem substantiam exhibere? Quæ inter summi Numinis Majestatem, ei speciem, seu formam materialem, similitudo, ut hæc illam referat? Quando enim de Deo loquimur, implicat Ideam, quam de illo formamus, ulli *speciei corporeæ* consentanea sit. Quare sedulo cavendum est, cum de Deo, cæterisque rebus corporeis sermo habetur, ut Imaginationis species, ab Intellectus puri Ideis secernamus, atque eorum exemplum declinemus, qui Rem unam concipere se non autumant, nisi quam & imaginantur, sive illam sub specie materiali sibi proponunt. Quod ipsis ob inadvertentiam dumtaxat contingit, quippe si in id, quod in mente sua agitur, Animum intenderent, multa sibi citra hujusmodi *species* obversari experirentur. Quod sat arguit, non exiguum inter puram Intellectionem & Imaginationem discrimen esse interpositum.

III.
Deus nulla specie corporea potest repræsentari

EXEMPLI causa, dum *Triangulum* imaginor, non tantùm intelligo illud esse figuram tribus lineis comprehensam, sed simul etiam istas tres *lineas* tanquam præsentes, mentis acie intueor, & illud est quod propriè imaginari

IV.
Non omnes figuræ possunt per Imaginationem attingi.

ginari appellatus. Si vero de *Chiliogono* cogitare velim, equidem bene intelligo illud figuram esse mille *lateribus* constantem, ac intelligo Triangulum esse figuram constantem tribus: sed non eodem modo illa mille latera imaginor, sive tanquam præsentia contemplor. Et quamvis tunc propter consuetudinem aliquid semper imaginandi, quoties de Re corporea agitur, *figuram* forte aliquam confusè mihi repræsentem, patet tamen illam non esse *Chiliogoni*, quia nulla in re est diversa ab ea, quam mihi etiam repræsentarem, si de *Myriogono*, aliave quavis figura plurimorum laterum cogitarem, nec quicquam juvat ad eas proprietates, quibus *Chiliogonum* ab aliis Polygonis differt agnoscendas.

V. *Quid Dei nomine, intelligit Carteſius.*

Unde apparet Virum Clarissimum, citra rationem à Philosopho exegisse, ut si Dei Ideam haberet, panderet *sub qua forma, quave specie esset immensæ Numinis Majestas.* Quia Ideæ nomine, non Rerum materialium imagines in Phantasia corporea depictæ intelliguntur; sed omne *illud*, quod immediatè à Mente percipitur, quando cum veritate dicere possumus, nos Rem aliquam concipere quocumque modo illam, concipiamus. Unde *Carteſius* Meditatione tertia, ut quid Dei vocabulo intelligendum vellet, sive quam ejus ideam & cogitationem haberet, declararet, hanc protert Definitionem: Dei nomine, intelligo Substantiam quandam Infinitam, Independentem, summè Intelligentem, summè Potentem, & à qua tum Ego ipse, tum aliud omne, si quid aliud extat, quodcumque extat, est creatum. Quamvis hæc Definitio perfecta sit, & omnia Attributa sub Substantiæ *Infinitæ* vocabulo compleatur,

ctatur, manca Præstantissimo Theologo videtur, ei Substantiæ, quæ ut primum Attributum, Dei naturam constituit, certa figura assignetur, & quodam decore adornata in medium proferatur. *Substantiam*, inquit, *intelligimus & nos, quæ vero sit ejus forma, spatios & figura à te discere libenter vellemus.*

VI. *Deus non potest sub venerabilis Senis effigie nobis exhiberi.*

Et ego, quum voluerit eligendam relinquo, speciem fingat, quæ hanc Substantiam illustret, & quæ illi placuerit imaginem Numinis Majestati adaptet, non obstabor. Forte Deum, prout aliquando *Gussendo* visum est, sub venerabilis Senis habitu nobis exhibebit? Prodeat igitur venerandus ætate gravis, fronte crispata, capite calvo, genis tumentibus, ore vivido; Illi barba eminear, & niveo colore aspergatur, acres sint illi Oculi, & Mundum, quem dextra tenet, pervadat & moderetur. An hoc genuinum Dei *simulacrum* reputandum est? Siccine res Incorporeæ Oculis nostris expanduntur? Ita Deus, qui Incomprehensibilis est, à Mortalibus agnoscitur? Id asserant, qui oculis omnia metiuntur, aut qui nihil verum existimant, quod sub Imaginationem non cadit. Falsitas autem hujus Opinionis ex eo facilè detegetur, si ad cogitationes nostras attendamus, consideremusque quàm evidenter judicia nostra ab Ideis nostris discrepent. Quippe si *Deus* sub Venerabilis Senis simulacro nobis innotescere fingatur, quodcumque aliud judicium de Deo formemus, illud falsitatis arguere cogemur, si Dei Ideæ adversetur, & ei in omnibus non correspondeat. Quia naturali lumine ad credendum adducimur, falsa illa esse *judicia*, quæ à Rerum Ideis, quæ in Mente nostra versantur, dissentanea sunt, ac proinde nunquam

cum

cum certitudine affirmare poſſumus, Deum partium eſſe expertem, non Corpore conſtare, eſſe inviſibilem, & in omni loco repereriri. Quia hæc omnia cum Venerabilis Senis Idea non conveniunt, imo hæc duo conceptibus diſcrepant.

VII. *Alias Spiritus S. ſub ſpecie columbæ cognoſceretur.*

Si dicatur, Deum ſub hac effigie nonnunquam Mortalibus ſe conſpiciendum præbuiſſe. Quid tum! an inde ſequitur illam eſſe notionem, quam de Deo habere debemus? Alias inferendum quoque eſſet, nullum alterum de *Spiritu Sancto*, quàm Columbæ conceptum habere poſſe, quoniam ſub hac Hominibus aliquando apparuit, & ejus volatum imitatus eſt.

VIII. *Deus bene definitur ſubſtantia quædam Infinita, independens &c.*

Postquam fruſtra Vir Clariſſimus ſciſcitatus eſt, quæ Divinæ Subſtantiæ eſſet ſpecies, & qua *figura* terminaretur, demum in verbum quoddam offendit, quod ne datam à Carteſio Dei definitionem amplecteretur, impedivit. *Quandam enim eſſe cautè an callidè, ſeu potiùs imprudenter dicis? Quid enim hoc eſt, quàm quæ fuerit, te omnino neſcire?* Quaſi indeterminati hujus Pronominis, *Quandam*, ſubſidio, ignorantiam ſuam celaret, & quod explicare non poterat, Vocis obſcuritate regeret. Verùm, tantùm abeſt, ut Pronomen iſtud, Subſtantiæ imprudenter adderet, quinimo vix citra confuſionem, omitti potuit. Nam cùm Subſtantiam definiret, cui nihil eſt, cum cæteris Rebus creatis commune, *Quandam* appellavit, cui ſcilicet ſpecialia Attributa competerent, & eam ab omni alio Ente amolirentur. Hinc *Gaſſendus* Dubitatione ſeptima ad tertiam Meditationem: "Bene, inquit, "dicis, *quandam*, ut quæ prorſus talis non "ſit, quales ſunt prorſus omnes, quæ à nobis intelli-

" guntur aut intelligi putantur Subſtantiæ: " quæ non ſubſtet ulli Accidenti, quæ nulli " planè ſubſtat rei; quæ propriè Subſtantia " non ſit, quæ potius ſuperſubſtantia ſit, quæ " ſit aliquid longè excellentius, quam quic- " quid Subſtantiam intelligimus. Quæ deniq; " ſit aliquid, quod intelligere non poſſumus. Non imprudenter igitur Carteſius, Dei nomine intellexit Subſtantiam *Quandam* Infinitam, Independentem, Potentiſſimam, &c. Cùm Subſtantia illa ſingularis ſit & individua, & poſitiva ſolius Dei perfectio, ac proinde per vocem illam, *Quandam*, demonſtranda.

IX. *Deus noſci non poteſt per aliquam ſpeciem corpoream.*

VERUM, nihil effecero, ni cuidam illi Subſtantiæ Differentiam præſcribam, oſtendamque an materialis ſit, an incorporea: *Dicas itaque*, inquit, *Corporea, an incorporea ſit; ſi corporea; iſtuc unde clarè & diſtinctè noveris; ſi incorporea; iſtuc, quid ſit, nobis clare & diſtincte explices. Obſcuræ (mihi crede) & difficiles ſunt primæ iſtæ rerum notiones. Etſi experiare, nihil magis arduum invenies, quàm quo pacto res, quæ corpore vacua ſit, à corporea mole diſtinguatur.* Tanto certè molimine opus non eſt, ad cognoſcendum an Dei *Subſtantia* corporea ſit, an incorporea. Rem paucis perficiam, ſi unam ex duabus his partibus ſeligam, oſtendamque Dei Subſtantiam nullatenus corpoream eſſe poſſe. Nam hoc probato, infallibili conſecutione infertur, Deum *Immaterialem* eſſe & Incorporeum. Apud omnes, qui quid per Dei nomen importetur, intelligunt, in confeſſo eſt, Deum Ens eſſe omnium, quæ concipere poſſumus, perfectiſſimum: Sed in Re Corporea, non omnes inveniuntur perfectiones: Nam etſi Corpus prout tribus dimenſionibus conſtare intelligitur, longitudinem

dinem ſine latitudine, & latitudinem ſine quadam profunditate habere non queat, non tamen neceſſario talem ac tantam longitudinem ſine tali ac tanta latitudine includit. In Deo verò, talis ac tanta *Sapientia*, à tali ac tanta *Potentia* dividi nullatenus poteſt, nec ullum Dei Attributum ſummè perfectum, ab alio etiam ſummè perfecto ſeparari poteſt; non eſt igitur Dei Subſtantia corporea. Deinde Rem materialem clarè & diſtinctè apprehendere poſſumus, quantum ad quæſtionem *Quid eſt*, quamvis eo ipſo non percipiamus *An ſit*; Sed Deum rectè definire non poſſumus, niſi in ejus definitione *Exiſtentia* includatur, quandoquidem Exiſtentia Dei conceptum ingreditur, nec ejus Eſſentia, citra illam intelligi poteſt.

X. *Deus cùm materiæ proprietates non habeat, dici nequit Corporeus*

Si objicias Deum ens eſſe maximè *ſingulare* ac proinde impropriè cum Corpore in genere comparari. Reſpondeo ex ejus collatione cum Corpore ſingulari, magis utriuſque diverſitatem pateſcere. Omne enim Corpus *ſingulare*, ex variis partibus componitur, varios ſubit motus, variis inſtruitur figuris, quæ à ſe mutuò ſeparari & disjungi poſſunt: Hinc Rerum materialium *corruptio*, *alteratio*, *diverſitas* oritur. At Deus Immortalis eſt, nullis mutationibus eſt obnoxius, & quamcumque varietatem refugit. Si igitur Deus Materiæ viciſſitudines non ſubit, nullaſque ejus proprietates admittit, non illa, ex qua conſtat Subſtantia Corporea dici poteſt, ſed ut incorporea ſit, neceſſum eſt. Dico itaque me *clarè ac diſtinctè* cognoſcere Dei *ſubſtantiam eſſe Incorpoream*, quamvis illius imaginem in phantaſia mea depictam non inveniam, imo in me inveniri poſſe impoſſibilem exiſtimem.

At

XI.

Ii recte Philosophari non possunt, qui suam cognitionem à sensibus & imaginatione tantum habent.

AT *cum Philosophi quidam sunt*, inquit Vir Eximius, *iisque non indocti, qui quicquam præter phantasmata, menti advenire inficiantur, atq; hinc factum ut in surdo nato nulla sit vocis Idea, neque in cæco lucis, quod primi occludantur auditus, per quos illarum phantasmata ad phantasiam pervenirent. Si autem nullas Ideas habeamus, nisi quæ extrorsum advenere, nihil aliud sunt omnes, nisi Imaginationis phantasmata.* Sunt equidem, qui ita censent Philosophi, sed quales nobis narrat, eos nimirum, qui toti Carni immersi, præjudicia Infantiæ pro *Axiomatibus* habent, qui Res cortice tenus, hoc est, earum, quibus indicantur verba contemplantur, & qui ratio regenda sit, ignari, rerum Spiritualium notiones à mente sua deturbant. Quid? ita Cognitio nostra à *Sensibus* initium ducit, ut nihil Menti occurrat, quod per illos non subierit? Nihil ab *Intellectu* percipitur, quod in Cerebro non delineatum sit, aut in Imaginatione insculptum? Quis dicet Sapientiam, Beatitudinem, Justitiam, Amorem, cæteroſq; animi Affectus per phantasmata repræsentari? Cùm Vir Clarissimus se vivere non dubitet, certusque sit se cogitare, se multa contra Cartesianam Philosophiam moliri, an putat suæ Existentiæ & Cogitationis Ideam, *Corporeum* esse simulachrum? Id si arbitretur, precor, ut quo colore afficiantur nobis aperire non dedignetur: dicat quem ejus Auribus sonum imprimunt; quibus Qualitatibus imbuantur, frigidæne sint, an calidæ? Nihil minus: nam licet *Sonus*, aut *Vox* cogitationem & existentiam exprimant, & earum species cum harum Idea conjungatur, non est tamen Cogitationis, de qua sit quæstio, imago.

XII.

Multa ſunt ſecundum Auguſtinum quæ ſola mente, ſeu Intellectu percipiuntur.

ID animadvertit *Auguſtinus*, dum libro ſexto de Muſica, ita loquitur: "Tria ſunt Rerum genera, quæ videntur: Unum Corporalium, ſicut hoc *Cœlum* & *Terra*, & quicquid in eis Senſus cernit & tangit; Alterum ſimile Corporalibus, ſicut ſunt *ea*, quæ ſpiritu cogitata imaginamur, ſive recordata vel oblata, quaſi corpora contuemur. "Tertium ab "utroque diſcretum, quod neque ſit Corpus, "neque habeat ſimilitudinem Corporis; ſicut "eſt *Sapientia*, quæ mente intellecta conci-"pitur, & in cujus luce de iis omnibus vera-"citer judicatur. Nihil enim magis Veritati adverſatur, aut ejus acquiſitionem arcet, quàm phantaſmatum multitudo, & Rerum imagines, quæ per Senſuum organa in animum tranſmittuntur. Nam licet earum conſcii ſumus, & veluti præſentes intueri videamur, certi tamen eſſe non poſſumus, non vana eſſe ſomnia, quibus deludimur, & ſubreptitia figmenta, quæ in errorem nos inducant. Adeo Cognitioni Rerum Spiritualium infeſta eſt imaginandi Facultas, ut eas Mens ad modum Corporum concipiendo, earum naturam alienet & corrumpat. Hinc *Idololatria* externa, qua efficta ab Hominibus ſimulacra colunt, non aliunde originem habuit, quàm quòd *Deus*, qui ſolo Intellectu concipi poteſt, ſub Imagine exhibitus ſit, & exſculpta in Cerebro exemplaria, typo externo cuderentur. Mens humana igitur corporeis *ſpeciebus* primùm exuenda eſt, ut veram Dei Ideam nanciſcatur, & illi viriliter, pertinaci verſus corporea inclinationi obluctandum, ut ſibi aditum ad Spiritualium rerum contemplationem aperiat.

XIII. *Possunt in cæco nato esse ideæ colorum, & in infante in utero materno ideæ Dei & sui.*

Ad id quod de *Cæco nato* subjungit, *quod nulla ei insit lucis Idea, aut in Surdo vocis.* Idem quod Philosophus olim *Gassendo* illud ipsum objicienti respondendum est; nullius prorsus esse momenti. Quî enim scit Vir Doctissimus, in Cæco nato nullam esse colorum Ideam? Cùm non rarò in nobis, etsi oculos claudamus, nihilominus Lucis & Colorum *Sensus* excitentur; & quamvis quod ait, concedatur, nunquid ab eo, qui rerum materialium existentiam negat, dici potest, Cæcum natum non colorum Ideas habere, quia oculis est privatus? Concludimus igitur, nihil eorum, quæ Deo attribuuntur, ab objectis externis, tanquam ab exemplari proficisci posse, quia nihil in Deo iis simile est, quæ in Rebus externis, hoc est, Corporeis observatur. Hinc *Cartesius* alio in loco, eidem opponenti verè dixit. Quia tam ingenuè interrogas, quas putem Mentem meam habituram fuisse Dei & sui Ideas; si ex quo infusa est in Corpus mansisset hucusque in eo clausis oculis, & absque ullo aliorum sensuum usu: ingenuè & candidè Respondeo, me non dubitare (modò ipsam in cogitando non impediram à Corpore, ut neq; etiam adjutam supponamus) quin easdem, quas nunc habet, Dei & sui Ideas fuisset habitura, nisi tantùm quòd multo puriores & clariores habuisset: Sensus enim *ipsam* in multis impediunt, ac in nullis ad illas percipiendas juvant: & nihil obstat, quominus omnes Homines easdem se habere æquè animadvertant, quàm quia in rerum Corporearum imaginibus percipiendis nimium occupantur.

Caput Decimum Quartum.

Oſtenditur Carteſium Divinæ Subſtantiæ Cogitationem, ſeu Ideam habuiſſe.

I. *Secundùm D. Parkerum nulla eſt in nobis idea, quæ non ſit in Imaginatione depicta.*

CUM eximius Doctor omnes Cogitationes ſuas ab Imaginatione mutuetur, nullamq; Ideam agnoſcat, quæ priùs in Cerebro non fuerit depicta, mirum non eſt, ſi Rerum *Intellectualium* notiones repudiet, palamque fateatur, Deum à Mente humana attingi non poſſe. Quippe ſi neceſſum eſt, ut Intellectus ad *Phantaſmata* ſe convertat, quatenus aliquid intueatur, quo pacto Deum ſibi obvium efficiet, qui Corpore deſtituitur, & nihil cum materiali ſpecie affinitatis habet? Hinc eadem Sectione decima nona, diſtinctis verbis, mentem ſuam aperit: *Quanquam enim diſtincti Intellectus facultates eſſe conceſſerint, non tamen diſtinctas Ideas; ſed cùm Mens ipſa quicquam percipit, aut de quopiam dijudicat, illius non novam & diſtinctam Ideam effingit, ſed ſolam Ideam in imaginatione depictam intuetur. Nullius itaq; ſubſtantiæ Idea intellectui obverſatur, niſi quæ prius phantaſiam afficiat, quam cùm Natura divina movere nequeat, nulla illius idea in nobis eſſe poteſt.*

II. *Nomine Dei audito aliud præter vocis ſonum menti ingeritur.*

VERUM, quid ſi dum à ſe Dei *Ideam* eliminare videtur, eam hoc ipſo admittat, & quod inter Cerebri *Phantaſmata* reponit, ejus menti inſideat? An non Dei nomine audito, aliquid præter ſonum ſibi repræſentat? Aliâs

quî

quî fieri poſſit, ut tam multa de Deo demonſtremus; ut quòd Unus ſit, Omnipotens, Æternus, Sapiens, &c. quandoquidem nihil eorum in hoc *ſono*, Deus, includitur, ſed in Idea dumtaxat, quam de Deo habemus, & quam huic ſono adſtrinximus. Deindè, ſi hac voce pronunciata, nulla nobis eſt Dei Idea, nihil igitur de illo concipimus, quam quatuor has litteras D, E, V, S, & dum illum colimus & veneramur, in nihil aliud, quàm in earum Sonum noſter cultus ac veneratio dirigitur. Quod an aliquid effingi poteſt abſurdius, ipſimet Viro Theologo diſcernendum relinquo. Annon quis jure ipſum ſeveritatis inſimulabit, quòd tantopere in Atheos invehatur, & eos perverſitatis & ſtultitiæ reos faciat? Quippe ſi Dei negatio, unius dumtaxat Vocis negationem importat, & Deum è Mundo deturbando, unam tantùm dictionem ipſi amoliantur, quorſum tanta Acerbitas? Cur toc in Inſontes minæ, qui nomen abigunt, cujus ſignificationis cùm rudes ſint, nullam ejus Ideam animo concipiunt? Annon *Paganis* immeritò Vir Clariſſimus ſuccenſet, qui Divinitatis vocabulum Falſis Numinibus aſſignant, cùm id illis ſolummodo *materialiter*, ut loquuntur logici, conveniat? Quid linguæ Latinæ perito ad Pietatem, ad devotionem conducet, quòd nomen, *Deus*, pronunciari audiat, magis quam Synagogam ingreſſus, Hebraicæ autem linguæ planè ignarus, *Adonai*, aut *Eloha*, efferri audiat? Cum ex utroque pronunciato nullum conceptum ſibi efformet, & non niſi à quodam ſyllabarum murmure afficiatur? Neceſſum igitur eſt, ut Dei ipſius notionem habeamus, dum illi Attributa aſſignamus, & quid nomen illud ſignificet, nobis

manifeſtum ſit, ut cæteris Rebus extraneum eſſe judicemus.

III. *Omnes gentes in Dei notione conveniunt.*

CERTE, cùm diverſæ gentis Homines, variis nominibus Deum exprimant, qui fit, ut omnes ſimilem de illo conceptum efformentˀ Annon *Gallus* & *Germanus*, diſſimilibus utentes verbis, cùm de Deo loquuntur, eandem de eo cogitationem efformantˀ Quî fit, ut de illius Majeſtate, Potentia, Sapientia, Æternitate idem cenſeant, niſi quia à vocabulis cogitationis ſuæ identitatem non habent, ſed potiùs ipſis eadem *Notio* Dei occurrit, & ſimilis Idea in eorum mentibus correſpondet. Enimverò quomodo ſummo Honore Deum eſſe colendum decernerentˀ Quomodo Dei opera admirarentur? Quomodo Dei miſericordiam ejus juſtitiæ præponerentˀ Quomodo denique Dei amore contemnenda eſſe omnia prædicarent, niſi Dei cogitationem haberent, & alias Ideas ad illa nomina ſpectantes mente gererent, quàm quæ diverſorum Sonorum Phantaſmatibus tribuuntur. Putatne Clariſſimus Vir, dum Athei Deum eſſe inficiantur, aut ſaltem, ne pejus quàm par eſt, de illis judicem, Mundo exulem optant, ut liberiùs vitia ſectentur, & impunè voluptati indulgeant; putatne, inquam, nihil prorſus per hoc nomen, *Deus*, intelligereˀ Si affirmet, non igitur Athei culpandi ſunt, quandoquidem non niſi nihili exiſtentiam denegant, aut ſaltem illius Rei, quæ nullam ſui notionem eorum Intellectui exhibet. Si præter *litteras*, quibus hoc vocabulum, *Deus*, componitur, quicquam ſignificare ajat, cùm Res per illud ſignificata, ejus Menti inſinuetur, ut illius quoque Ideam habet, neceſſum eſt; cùm nequaquam fieri poſſit, ut aliquid verbis

verbis exprimere poſſumus, id intelligendo, quod dicimus, quin hoc ipſo, certum ſit in nobis illius Ideam eſſe, quod verbis illis ſignificatur.

IV. *Deus per Ideam à nobis cognoſcitur.*

I p Eximio Doctori neceſſarium non videtur, ſed ſufficit ſecundùm eum, ut Deus percipiatur, quòd Ratio adhibeatur, non autem Idea. *An ergo Deum eſſe non percipimus?* inquit, *Immo quidem ratione, non Idea.* At, quomodo aſſeverabit ſe rem noſſe, cujus nulla *Idea* ejus Menti obverſatur? Cùm per Ideam, id omne intelligitur, quod alicujus perceptionis eſt forma, adeò ut Idea aliud non ſit, quàm Mentis conceptus, ſive res Mente concepta & intellecta. Nam ſi quicquid perſpicuè & diſtinctè cognoſcimus, verum eſt, & tota evidentia & diſtinctio rei, ab Ideis noſtris pendeat, certi nunquam erimus, eorum cognitionem, quæ extra nos ſunt, habere, niſi per Ideas, quas in nobis invenimus: Cúmque Vir Clariſſimus, nullam Dei notionem ſe Mente gerere aſſerat; quidni audacter inferamus, nullam prorſus Dei perceptionem habere, ac proinde, ſi *non Idea*, neque etiam *ratione* Deum cognoſcere, quandoquidem Idea ſit id ipſum, quod ratione evincitur, ut & alia, quæ quolibet modo percipiuntur. Sic *Philoſophus reſponſ. ad Tert. Object.* Ego paſſim ubique, ac præcipuè hoc ipſo in loco, oſtendo me nomen *Ideæ* ſumere pro omni eo, quod immediatè à Mente percipitur, adeò ut cùm volo, & timeo, quia ſimul percipio me velle, & timere, ipſa volitio, & timor inter Ideas à me numerentur; uſuſq; ſum hoc *nomine*, quia jam tritum erat à Philoſophis, ad formas perceptionum Mentis Divinæ ſignificandas, quamvis nullam in Deo

phantaſiam agnoſcamus; & nullum aptius habebam. Satis autem puto me explicuiſſe Ideam Dei pro iis, qui ad meum ſenſum volunt attendere: Sed pro iis, qui mea verba malunt aliter quam ego intelligere, nunquam poſſum ſatis.

V. *Veteres non potuerunt Deum definire, ni priùs ejus Ideam habuerint.*

ITA nihilominus proſequitur Doctiſſimus Vir; *Quanquam enim quendam eſſe ſummè cùm potentiæ tum ſapientiæ novimus, quæ tamen ſit illius eſſentia omnem captum humanum non modò ſuperat, ſed & prorſus fugit. Cum ejuſmodi ſit naturæ, ut menti, quamdiu carni immerſa ſit, obverſari nequeat.* Si Dei natura, ſeu eſſentia ita Homines latet, ut ejus nulla *Notio*, in hac Vita comparari queat, quò contigit ut veteres tum *Philoſophi*, tum *Theologi* eum definire aggreſſi ſunt? Cùm Definitio aliud non ſit, quàm clara & diſtincta Rei Idea; quæ certè de nulla re haberi poteſt, niſi vocabula, quibus conſtat, ab Intellectu evidenter apprehendantur, & eorum ſignificatio innoteſcat. Unde cùm dixerunt, Deum eſſe *Ens*, quo majus, aut melius cogitari non poteſt: vel *Actum* eſſe omnis poteſtatis experteum: vel primam & ſempiternam *eſſentiam*, ex qua, eſt omne, quod eſt, quatenus eſt: vel denique, *Ens* ſumme *perfectum*; haud dubiè Dei cogitationem Carteſiano ſenſu habebant, & quid per nomen Dei ſignificatur, per hujuſmodi deſcriptiones, animo tenebant. Etenim quo alio pacto Rei alicujus Idea oſtendi poteſt, quàm ejus definitionem tradendo, & Attributa, quibus conſtat, explicando? Quod cùm circa Dei cognitionem Veteres Philoſophi præſtiterint, negari non poteſt, quin de Deo Cogitationem habuerint.

NIHIL

NIHIL solentius inter Theologos, quàm Cursum suum, quem *Theologicum* vocant, à Dei naturæ examine ordiri, ac inter primas Quæstiones proponere, *An Deus sit*, sive an Ens sit Infinitum, Æternum, summè potens, à se ipso existens, &c. Dici nequit hanc Quæstionem de nomine, seu *voce* materiali, hoc est, de duabus Syllabis, quæ Dei vocabulum componunt, agitari; sed de ipsa Dei Existentia, de qua Quæstio moveri aut intelligi poterat, nisi Dei conceptus haberetur, hoc est, nisi animo apprehenderetur subjectum, de quo investigatur. Nihil præclaro Theologo proderit adferre, *Quendam esse summæ cùm potentiæ tum sapientiæ, sed illius essentiam omnem captum humanum excedere.* Quia eo ipso, quo tale Ens dari affirmat, cùm ejus conscius sit, quod asserit, cogitationem sive notionem habet de tali ac tanto Ente, quod existere affirmat. Quia, quemadmodum loquitur Philosophus *prima parte princip. Artic.* 19. Quamvis summas Dei perfectiones non comprehendamus, quia scilicet est de natura Infiniti, ut à nobis, qui sumus finiti non comprehendatur: Nihilominus tamen ipsas clariùs & distinctiùs, quàm ullas res Corporeas intelligere possumus, quia Cogitationem nostram magis implent, suntque simpliciores, nec limitationibus ullis obscurantur.

VI. *Non potest fieri sermo de Deo, nisi ejus idea habeatur.*

ET profectò si quis Theologos consulat, deprehendet omnes propemodum asserere, Dei Existentiam non modò naturali ratione posse manifestari; verùm etiam ex sacris literis inferri ejus perceptionem multis, quàm quæ de creatis Rebus habetur, faciliorem esse, imo ita comparatu facilem, ut qui ea destituuntur, culpandi sint. Quod ex Sapientiæ decimo

VII. *Ex Scriptura & Ratione ostenditur Dei notionem in nobis reperiri.*

decimo tertio Capite manifeſtum eſt: *Nec his debet ignoſci: ſi enim tantùm potuerunt ſcire, ut poſſent æſtimare ſeculum, quomodo hujus Dominum non facilius invenerunt.* Et D. Paulus ad Romanos cap. 1. Eos *inexcuſabiles* eſſe proclamat, atque ibidem paulò poſt; *Quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis.* Quibus verbis ſat admonemur Deum maximè intelligibilem eſſe, & ſolis naturæ viribus manifeſtiſſimum. Enimverò cùm Veritas Mentem reſpiciat, & illud ſit circa quod Intellectus potiſſimum verſatur, id Intellectum maximè afficiet, quod maximè Veritas eſt, ſive quod eſt ipſa *Veritas* originaliter & eſſentialiter: Sic quoniam Deus præcipuum eſt humani Intellectus objectum, ſequitur quòd Homines naturali inſtinctu ad Deum cognoſcendum primò & maximè ferantur: Quia quæcumque Operatio, ea ratione ad præſtantiſſimum objectum dirigitur, à quo perficitur, & in quo ſolò quieſcit: Sed ſumma Intellectivæ Facultatis perfectio ſive Veritas, in nullo alio objecto, quàm in Deo poſita eſt, cùm illud Infinitum ſit, humanique Intellectus capacitatem expleat; ſequitur igitur, quod Homines ad eum intelligendum maximè propendeant.

VIII. *Oſtendit Auguſtinus obſtare Corporea, ne Spiritualia attingamus.*

VERUM longè aliter ſentit Vir Clariſſimus, dum ait: *Et quidem multum intereſt inter illius (Dei) exiſtentiam, an Ideam intelligamus; in exiſtentiæ enim notitiam, rerum omnium pulchritudine ducimur; Ideam verò quî aſſequi poſſumus non intelligo, niſi ipſe ſe coram ſiſtat; atque quaſi videndum & palpandum ſe exhibeat, cùm nullæ ſubſtantiarum Imagines ad Mentem, niſi per ſenſus advenire poſſint.* Dederint Superi, ut Doctor Eximius, priuſquam hæc ſcriberet, D. *Auguſtini* Confeſſiones evolviſſet, advertiſſet

tiſſet enim *lib. 6. cap.* 10. illuſtriſſimum Eccleſiæ Doctorem, infælicem ſuum ſtatum, ante ſuſceptam Evangelii Doctrinam, deflere, atque errorum ſuorum Cauſam in hoc rejicere, quod Mens ejus Corporeis Imaginibus obtenebrata, ſpiritualia capere non poſſet. "Et quoniam, *inquit*, cùm de Deo meo "cogitare vellem, cogitare niſi moles Cor- "porum non noveram: Neque enim vide- "batur mihi eſſe quicquam quod tale non "eſſet; ea maxima & prope ſola Cauſa erat "inevitabilis erroris mei. Et *lib. 4. cap.* 15. "Et converti me, ad Animi naturam, & non "ſinebat falſa Opinio, quam de Spiritualibus "habebam, verum cernere. Et irruebat in "oculos meos ipſa vis Veri, & avertebam "palpitantem Mentem ab Incorporea re, ad "lineamenta & colores, & tumentes magni- "tudines. Et quia non poteram ea videre in "Animo, putabam me non poſſe videre A- "nimum meum.

IX. *Imago in Cerebro depicta non habet rationem Ideæ.*

ENIMVERO qui Dei Ideam unquam aſſequi poterimus, quamdiu illa ad rerum materialium Imagines, quæ in phantaſia formantur reſtringetur? Non enim effigies in Cerebro depicta, Ideæ nomen ſortitur, ſed omne illud, quatenus habet tantùm eſſe objectivum in Intellectu; quemadmodum Tertio Opponenti dicit *Philoſophus*: Cum additur non dari Ideam animæ, ſed ratione colligi, idem ac ſi diceretur, non dari ejus Imaginem in phantaſia depictam, ſed dari tamen illud, quod ego Ideam vocavi. Nam quis ille eſt, qui non percipit ſe aliquid intelligere, dum has voces pronunciat: *Deus eſt Res omnium, quas concipere poſſumus, perfectiſſima?* Hoc enim eſt quod apud omnes Homines Dei nomine venit.

venit. Si vero dicat Eruditiſſimus Doctor, ſe non intelligere quid ſignificent voces omnium mortalium ore tritæ; dico hanc omnium, quæ fingi poſſunt, maximè impiam eſſe confeſſionem, quod de ſeipſo profiteatur, nullam eo ſenſu, quo accepit Carteſius, Dei Ideam habere. Hoc enim non ſolùm eſt palam inſinuare ſe illum ratione naturali non cognoſcere, ſed etiam nec Fide, nec ulla alia via, quicquam de illo poſſe attingere. Quia ſi nullam Ideam, hoc eſt, nullam perceptionem habeat, quæ hujus vocis, *Deus*, ſignificatui reſpondeat, quantumvis Deum eſſe ſe credere profiteatur, iſtud perinde eſt, ac ſi diceret, ſe *nihil* eſſe credere, & ita in Impietatis & extremæ Ignorantiæ abyſſo demerſum jacere.

X. *Cognitiones humanæ non ita à Senſibus pendent quin abſque illis haberi queant.*

Sed quorſum tam obſtinatè Dei perceptionem haberi poſſe negat Vir Clariſſimus? An forte Ideæ nomen, quo Carteſius utitur, diſplicet? An nimis ineptum, quàm ut Dei notionem ſeu conceptum ſignificet, exiſtimat? Nequaquam, ſed quia *nullæ ſubſtantiarum Imagines ad mentem, niſi per ſenſus advenire poſſunt.* Itane cognitiones noſtræ eam à Senſibus dependentiam habent, ut quicquid per illos non ſubierit, Intellectum noſtrum fugiat? Quid! ita Mens noſtra *Corpori* involuta eſt, ut niſi Senſus conſulat, in nullius Rei notitiam deveniat? Mirum; quod Inſignis Theologus Rei alicujus Cogitantis conſcius eſt, nihili omnino conſcius ſit; quòd dum affirmat, aut negat, idipſum, quod affirmat vel negat, illi ignotum ſit, & nullam ejus Ideam prorſus habeat, quoniam eſſe conſcium, aſſentiri, diſſentiri Rei Spiritualis Operationes ſunt, & quæ nullis corporeis Senſibus innituntur. Statuendum igitur eſt, omnes cogitationes noſtras,

noſtras, non à Senſibus initium ducere, & plurima Menti noſtræ obverſari, quæ ſine ulla Rei materialis ſimilitudine intuemur.

XII. *Nulla ratio ad probandum Dei exiſtentiam efficacior quam Carteſiana.*

HINC manifeſtum eſt, quàm verè dixerit Carteſius, de Rationibus, quas à Mente ſua, pro Dei Exiſtentia deſumpſit, eas tales eſſe, *ut non putet ullam viam humano ingenio patere, per quam meliores inveniri unquam poſſint:* Quia cùm Mens humana de ſui exiſtentia certa ſit, & eo ipſo, quo de Rebus cæteris ambigit, eam firmet ac ſtabiliat, ſequitur quòd ex ſe probè inſpecta & explorata, Deum exiſtere demonſtrando, à maximè notis & perceptis procedit; Quippe conſtat Concluſionem eò notiorem evadere, quo certiores, & magis homogeneæ fuerint præmiſſæ. Igitur ſi nihil humanæ Menti evidentius eſt, quàm ipſa ſibi, Mens à ſe pro Dei Exiſtentia argumentum petendo, Concluſionis veritatem infallibiliter deducit. "Quoniam ut "probè animadvertit *Marſilius Ficinus in* "*Alcib.* 1. Perfectum & abſolutum Hominis "officium eſt, primò quidem ut naturam "ſuam animadvertat, deinde ab illa tanquam "ab Imagine & effectu ad Divinam Mentem "& exemplar ejus & Cauſam convertatur. Magna enim in hoc Exiſtentiam Dei probandi modo, inquit *Carteſius prima parte princip. Artic.* 22. per ejus ſcilicet Ideam, eſt prærogativa; quòd ſimul quiſnam ſit, quantum naturæ noſtræ fert infirmitas, agnoſcamus: Nempe ad ejus Ideam nobis ingenitam reſpicientes, videmus illum eſſe Æternum, Omniſcium, Omnipotentem, omnis Bonitatis Veritatiſque fontem, &c.

Caput

Caput Decimum Quintum.

Ingenitam eſſe omnibus Hominibus de Deo cogitandi Facultatem.

I. *Cùm Dei Idea non à Senſibus proveniat, à ſolo Deo Menti noſtræ imprimitur.*

DEMONSTRATO, quod Dei Idea in nobis ſit, ſive quòd illius notio Mentibus noſtris inſideat; haud immeritò quæri poteſt, à *quo* proficiſcatur, & quæ ejus origo ſit & exemplar; nam non illam à *Senſibus*, ut ſatis probatum eſt, hauſimus, & quæ per *Imaginationem* nobis repræſentantur, rerum Materialium ſunt ſimulachra; alia iſtius Ideæ cauſa inveſtiganda eſt, quæ à prædictis differat. Et certe alia aſſignari nequit, quam ipſe Deus, qui illam Animis noſtris impreſſit, & illos producendo, indidit. Adeò ut illa nobis inſita ſit, & veluti nota tanti Artificis ejus operibus exarata. Ita Philoſophus *Meditatione Tertia:* Neque enim Ideam iſtam Senſibus hauſi, nec unquam non expectanti mihi advenit, ut ſolent Rerum ſenſibilium Ideæ, cùm iſtæ res externis Senſuum organis occurrunt, vel occurrere videntur, nec etiam à me efficta eſt. Nam nihil ab illa detrahere, nihil illi ſuperaddere planè poſſum, ac proinde ſupereſt, ut mihi ſit innata. Quemadmodum etiam mihi eſt innata Idea mei ipſius. Et ſanè non eſt mirum, Deum me creando, illam mihi indidiſſe, ut eſſet tanquam nota Artificis operi ſuo impreſſa.

Non

Non tamen per illam impreſſionem ita intelligendum eſt, quaſi *actu*, & reipſa Idea illa menti noſtræ ſemper obverſetur, quoniam tunc nos ſemper de Deo cogitaremus; ſed per illam impreſſionem intelligimus Facultatem Homini à Deo conceſſam, qua Dei Ideam, abſque aliarum Idearum præſidio, elicere poteſt. Quippe cùm Cogitationes ſe comitentur, & una aliam expellat, fieri nequaquam poteſt, ut iiſdem perpetuò Cogitationibus inhæreamus. Dicimus igitur Dei Ideam, nobis *innatam* eſſe, ad eum modum, quo innatam quibuſdam familiis *generoſitatem* dicimus, & aliis quoſdam morbos, ut *Calculum*, vel *Podagram*: non quòd ideò iſtarum familiarum Infantes, Morbis iſtis in matris utero laborent; ſed quod cum quadam diſpoſitione, ſive Facultate ad illos contrahendos naſcantur, & in lucem edantur. II. *Quid per innatam Idtam Dei intellexerit Carteſius.*

At quid ad hæc Vir Eximius? Nihil, quod huic cogitationi faveat, expectes. *Quanquam*, inquit Sectione decima ſeptima, *hanc diſputandi ab innatis notionibus rationem adhiberi hac præcipuè cauſa nollem, quòd ea maximè utuntur omnes, qui Deum ſolùm jocandi cauſa induxerunt.* Id illi gratis largiamur, quod nonnulli Philoſophi, inter quos *Epicurum* potiſſimum recenſet, Dei nomine abutantur, atque illud ad ficta & evanida quædam numina transferant. An ideò è philoſophorum Scholis amandandum eſt Dei vocabulum? Quidam reperti ſunt, qui *innatas* notiones non niſi ad jocoſos de Deo ſermones fingendos deſumpſerunt, quid tum! Abigenda eſt igitur penitus è mente noſtra Dei Idea? Nihil amplius de Deo loquendum eſt? Aut quicquam de ejus perfectionibus, Juſtitia, Bonitate, Sapientia III. *Non innatæ Ideæ rejiciendæ, quia illis aliqui abuſi ſunt.*

entia cogitandum? Quis ignorat, qui Ciceronem legit, *Velleium* quondam existimasse à natura nos omnes habere, omnium gentium, speciem nullam aliam nisi humanam, Deorum? *Quæ enim alia forma unquam aut vigilanti cuiquam aut dormienti occurrit?* inquit. Certe nihil in natura adeò sacrum reperies, quod non temeratorem interdum habeat, aut quicquam Mortalium omnium ita *Animis* insitum, quod non à quibusdam vilè fiat & contemnatur.

IV. *Tria dantur Idearum genera, Adventitiæ, factitiæ, & ingenitæ.*

VERUM, cùm nullam ideam Eximius Theologus admittat, quæ non sit in Cerebro insculpta, & cùm Divina *Substantia* illud movere non possit, quid aliud ex illius mente concludendum est, quàm quod à nobis efficta sit, & ad modum Entium, quæ rationis vocamus, & formata: *Putasne enim*, inquit, *te illius simulachrum, exemplar, imaginem mente depictam habere? Si non putas, nihil aliud Ideæ nomine intelligis; Sin putas, omnem simulachri istius delineationem, quam intus habes, nobis quoque externa descriptione exhibere potes; ut quidem nunquam Dei Ideam tibi ineſſe persuaseris, donec istius picturam, & delineationem nobis descripseris, quòd cùm omnino fieri nequeat, planè sequitur, nullam esse istiusmodi Ideam.* Ut hæc Idea meliùs describatur, & qualis revera sit, evidentiùs innotescat, haud parum animadvertere proderit, *Ideam* posse in tria genera dispesci. Quædam enim *Adventitiæ* sunt, quæ à Rebus extra nos positis adveniunt, qualis est Idea, quam de *Sole* habemus, quæ ideò tales vocantur, quoniam experimur quòd Res quædam externæ efficiunt, ut hoc tempore potiùs, quàm alio, id genus cogitationes animo præsentes habeamus. Aliæ

factæ

ficta vel *factitia*, quæ à nobis effinguntur, in quantum Cogitationes Adventitias componimus, seu conjungimus; ut dum *Montem aureum* nobis repræsentamus, aut Corpus, quod sit summè perfectum fingimus. Aliæ denique *Innatæ*, quæ à Deo immediatè proficiscuntur, & Mentibus nostris sunt inditæ, ut Idea *Dei*, *Mentis*, *Corporis*, *Trianguli*, & generaliter omnes, quæ aliquam veram, immutabilem & æternam essentiam exhibent.

V. *Dei Idea inter eas quæ nobis ingenitæ sunt numeranda est.*

Ad Ideas ingenitas, *Dei* Idea maximè referenda est, cùm nec Sensuum ope, nec per divisionem, aut compositionem factam, nobis adveniat, sed insita nobis sit, hoc est, à natura nobis *potentia* insit, qua Deum cognoscere possumus. Quia Deus nos creando, istam de se cogitandi facultatem nobis impertiit, qua inter alia, absolutam ipsius Immensitatem & unitatem cuncta alia Attributa complectentem sic nobis repræsentamus, ut nullum eorum exemplum alibi reperiamus.

VI. *Idea Dei non efformatur ad modum universalium.*

Ad id, quod aliqui dicunt Dei Ideam in Mentibus nostris ad modum Generis, & reliquorum Universalium efformari, quæ tantùm Entia sunt rationis; Respondeo, *universalia* ex eo dumtaxat fieri, quòd una & eadem Idea utamur, ad omnia *Individua*, quæ inter se similitudinem habent, cogitanda. Ut etiam unum & idem nomen Rebus omnibus per Ideam istam repræsentatis imponimus, quod nomen est *universale*. Verùm, quis dicet aliquid Deo par, aut secundum reperiri, ut inde Generis conceptus formetur? Aut Dei Ideam objectivè consideratam, tantùm esse, cogitandi modum, ac nihil præterea reale in illa contineri? Deinde nullam omnino perfecti-

onem Unitas illa Universalis involvit, cum è converso summa Dei Simplicitas, sive Unitas, una est ex præcipuis Dei *Perfectionibus*, quas in illo deprehendimus. Aut si velint hanc Dei Ideam, aliud non esse, quàm *Ens Rationis*, non obluctabor, si per Ens rationis aliud non concipiunt, quàm Intellectus operationem, hoc est, ens à ratione productum: quia hoc pacto totus Mundus Ens rationis Divinæ dici potest, hoc est, Ens per simplicem Divinæ Mentis actum productum.

VII. *Unde quidam abnuunt se experiri in se Dei Ideam.*

Si fortè quis Clarissimi Doctoris partes tuitus, urgeat plures *Theologos* ac *Geometras* reperiri, qui hanc Ideam ut inanem exsibilant, sponteque fatentur, quantumvis mentem à Rebus corporeis abstraxerint, nullam in se innatam Dei notionem animadvertere: Unde omnes illos sibi imponere pronunciant, qui hac *Idea* se frui opinantur; sat intimasse sufficit nihil inter Homines solentius, quàm sciendi methodum pervertere, & de Rebus judicare, priusquàm eas clarè & distinctè perceperint. Tam enim sæpè animadverti, ea, quæ Homines judicabant, ab iis, quæ intelligebant, dissentire; ut quamvis non dubitem, quin omnes in se *Dei* Ideam habeant, saltem implicitam, hoc est, aptitudinem ad ipsam explicitè percipiendam in se habeant, non mirer tamen, quòd illam se habere non experiantur, sive non advertant. Sic cùm decernunt *Spatium*, quod Inane appellant, nihil esse, illud nihilominus ut Rem positivam intelligunt: Sic cùm *Accidentia* realia esse arbitrantur, ipsa tamen tanquam Substantias sibi repræsentant, quamvis Substantias non esse judicent: ac sæpe aliis multis in rebus, Hominum judicia ab ipsorum perceptione dissentiunt.

sentiunt. At quicumque nullum unquam judicium ferunt, nisi de Rebus, quas clarè & distinctè concipiunt, non possunt uno tempore aliter, quàm alio de eadem re judicare.

VIII. *Nulla est natio, quæ non supremum aliquod numen agnoscat.*

Clarissimus Parkerus etsi certò non asserat dari in Mundo Homines, adeò Rerum spiritualium ignaros, qui omni Divinitatis sensu destituantur, nonnullorum tamen meminit Sectione decima octava, *qui integras Hominum gentes sic immanitate efferatas esse ferunt, quæ omni Numinis sensu & suspicione caruerunt. Quod de quadam inter novi orbis incolas virorum gente narrat Josephus Acosta quodq; de Touvoupinambulis, de Caribum Insulis, aliisque populis Americanis alii narravere.* An tales Historici fidem mereantur, se planè nescire fatetur, non modò quod alii aliquantò post de iisdem populis contrarium scripserunt; verum etiam quod ipsi rem de qua narravere, non possent satis exploratum habere. Imo ipsemet Josephus Acosta, de Proc. Ind. Sal. lib. 5. 479. apertè inculcat, omnibus barbaris vulgare esse, supremum aliquod numen agnoscere. "Hoc commune apud omnes Barbaros est, "inquit, ut Deum quidem omnium rerum "Supremum & summè Bonum fateantur; "Spirituum autem quorundam perversorum "non obscura Opinio sit, qui à nostris Bar"baris Zupay vocari solent. Igitur & quis "ille summus, idemque sempiternus rerum "omnium Opifex, quem illi ignorantes co"lunt per omnia doceri debent, mox quan"tum ab illo, illiusque fidelibus ministris "Angelis absint gens pessima Cacodæmo"num.

IX.

Non dantur nationes, quæ penitus sint Divinitatis ignaræ.

QUIA vero Historici, quarundam nationum mentionem faciunt, quæ nullam veri Dei notionem habent; sed *Idola* venerantur, concludi posset, non omnium mentibus insculptam esse Divinitatis Ideam. Ad quod dupliciter responderi potest. *Primò* cum efferæ, omnisque humanitatis expertes gentes habeantur, nequidem seipsos, hoc est, *Mentis* suæ naturam concipiunt, cùm tamen insitam à Natura habeant illius notitiam: dubitari nihilominus non potest, quin gentes quantumvis barbaræ, & ab omni humaniore disciplina alienæ, in Dei notitiam, per naturæ contemplationem, & Mentis suæ proprietatum intuitum deduci queant, in quibus sedulò intentæ, & Deum & Mentem suam clarè deprehendent. Responderi potest *secundò*, Gentes illas non omni prorsus Dei cognitione destitui; Quia licet vice Dei, Idolum usurpent, atque nomen Dei rejiciant, rem tamen per illud significatam admittunt. Cùm certum sit, illos non *Idolum* colere, nisi quia Ens summè perfectum esse existimant; ac proinde necessum est, ut aliquam Divinitatis Ideam habeant. Non tamen putat *Philosophus* istam Ideam, esse ejusdem naturæ cum Imaginibus rerum materialium in phantasia depictis, sed esse id tantùm, quòd Intellectu sive apprehendente, sive judicante, sive ratiocinante percipimus. Unde Homines nunquam in ista Dei Idea rectè concipienda aberrarent, si tantum ad Entis summè perfecti naturam attenderent: Sed quia aliqui alia simul miscent, fit ut pugnantia loquantur, & *chimæram* Dei notionem esse effingant.

QUAMVIS

QUAMVIS Vir Clariſſimus nullos in Mundo Homines eſſe putet, adeò ſuæ Originis immemores, ut ſe, cæteriſque rebus ſpectatis, ad Dei notitiam & cognitionem non deducantur, id tamen non per ingenitam Ideam fieri contendit, ſed per rationem, ſive quantum conjicio per ratiocinationem & diſcurſum. *Sic verò firma omnium de Deo conſenſio, neque eſſe dubito, an igitur inſculpta & innata ſit neceſſe eſt? Cur non potiùs ipſa rei perſpicuitate omnes ſe percipere ſibique aſſentiri cogat?* Ne nimium in confutandis Viri Eximii effatis rigidi ſumus; demus Deum ratione, ut alibi ipſe loquitur, percipi, an tantam ex Ratiocinio adfuturam Menti ſuæ evidentiam arbitratur, quantum ex *Idea* eliceret? Nequaquam. Quæ enim *diſcurſu*, & rationum ambagibus comparantur, tamdiu ſolummodò manifeſta ſunt, quamdiu eorum claritas à nobis animadvertitur; Illa autem evaneſcente, eorum quoque certitudo corruit, nec ampliùs de Concluſionis veritate, quam antea amplexi ſumus, nobis conſtat. Illa autem, quæ per Ideam nobis obverſantur, conſenſum à nobis extorquent, nec de illis dubitare poſſumus.

X. *Deus etſi ratione attingi poſſit, non tamen tam clarè ac per Ideam.*

HINC oritur, ut *prima* principia, & quæ per ſe nota ſunt, ita Intellectum & judicium afficiunt, ut de iis ambigere, accedente etiam *Voluntatis* imperio, non poſſumus. Cum igitur Res, quæ per Ratiocinium inveſtigatur, deſinente Meditatione, nullam amplius perſpicuitatem ſortiatur, neque ea pro Indubitatis admittamus, niſi quia nobis memoria occurrit, eorum nos claram & manifeſtam *Demonſtrationem* habuiſſe, non autem quia ſuo lumine efficiunt, ut de iis dubitare non poſſimus.

XI. *Cur de primis principiis non liceat dubitare.*

mus. Et cùm ea, quæ iſthoc pacto attinguntur, vera eſſe, certò cognoſcere non valemus, ni priùs de Dei Exiſtentia certi ſimus, cujus natura eſt, ut nunquam fallat, nec decipi nos patiatur, in iis, quæ clarè & diſtinctè percipimus; ſequitur nos circa illa, quæ ratiocinatione deprehendimus, nunquam fore ſecuros, quamdiu Deum non conſtat, ac proinde de Deo ambigere poſſe.

XII.

Ex conſideratione ſuæ mentis, Carteſius Dei Exiſtentiam intulit.

QUANTUM ad id, quod de Sole addit, quem in Cœlo lucere omnes animadvertunt: *Num itaque illius Ideam Natura omnium Mentibus impreſſam eſſe concludemus? An non potiùs ea vi longè latèque collucere, ut omnes, qui oculos habent, eum à ſe viſum fateri cogantur? Quidni ergo ſimiliter nobis impreſſa ſit Numinis notitia, ita ſcilicet, ut cùm ipſam Solis converſionem intueamur, ipſe rei aſpectus ſe ſine Opifice confici non poſſe judicaret?* Quantum ad id, inquam, nihil habet, quod *Carteſio* adverſetur. Id ipſum enim in fine Meditationis Tertiæ docuit, dum ex conſideratione Mentis ſuæ, Dei Exiſtentiam infert. En ejus verba: Dum in meipſum Mentis aciem converto, non modò intelligo me eſſe *Rem* incompletam, & ab alio dependentem, remque ad majora & majora, ſive meliora indefinitè adſpirantem; ſed ſimul etiam intelligo illum, à quo pendeo majora iſta omnia non indefinitè & potentia tantùm, ſed reipſa infinitè in ſe habere, atq; ita Deum eſſe. Totaque vis Argumenti in eo eſt, quòd agnoſcam fieri non poſſe ut exiſtam talis naturæ, qualis ſum, nempe Ideam Dei in me habens, niſi revera Deus etiam exiſteret; *Deus*, inquam, ille idem, cujus Idea in me eſt, hoc eſt, habens omnes illas perfectiones, quas ego non comprehendere, ſed quo-

quocumque modo attingere Cogitatione poſſum, & nullis planè defectibus obnoxius. Tota enim Argumenti efficacia, in eo poſita eſt, quòd vis de Deo cogitationem formandi, in Intellectu ejus eſſe non poſſet, ſi Intellectus humanus tantum finitus eſſet, ut revera eſt, nullamque ſui cauſam haberet, quæ Deus eſſet; ſive quòd quis agnoſcat fieri non poſſe, ut talis naturæ, qualis eſt, exiſtat, niſi etiam revera Deus exiſteret.

XIII. *Rerum Creatarum conſideratio non juvat ad Dei notionem obtinendam.*

Quod ſi verò velit Clariſſimus Theologus ex *Solis*, rerumque aliarum Materialium intuitu, Ideam ſeu notionem Dei formari poſſe, non minùs contra Rationem loquitur, ac ſi quis affirmaret, nullam audiendi Facultatem nobis ineſſe, ſed ex ſola Colorum *viſione*, in Sonorum notitiam devenire. Quippe plus analogiæ ac ſimilitudinis inter Colores & Sonos fingi poteſt, quàm inter res Corporeas, & *Deum*; ac proinde ex rerum creatarum perfectionibus, quantumvis ampliatis, nulla Idea formari poteſt, quæ ad Deum nos dirigat. Nam cùm Creaturarum perfectiones, *finitæ* ſint, & certis limitibus coerceantur, quo pacto majoris perfectionis Ideam, ſeu conceptum nobis conciliabunt? Cùm cuique manifeſtum ſit, Dei *Ideam* non ſucceſſivè, & per gradûs formari, ſed uno quaſi intellectus aſpectu, Ens Infinitum à nobis concipi, ſive apprehendi; atque ampliatio illa Infiniti notioni tantùm adverſatur, quàm ſi illud idem infinitum, per Imaginationem nobis exhibere vellemus. Et licet in entibus Creatis, graduum acceſſus inveniri poſſit, id tamen Ideæ, quam de Deo habemus, repugnat, cùm ſit *Ens* ſummè *perfectum*, ut ultra id, quod eſt, extolli non poſſit.

XIV. *Ex Dei Idea, quam habemus rectè concluditur eum existere.*

5 HINC ab illa Dei notione, seu Idea, quæ Mentibus nostris obversatur, ipsum existere rectè concludimus; quia cùm de Deo *conceptum* habeamus, & conceptus ille, quædam sit Entis perfectissimi repræsentatio, *causam* Efficientem exemplarem habere debet, in qua omnis illa perfectio objectivè, & tanquam in Imagine, *actu* reperiatur, ut in Archetypo & exemplari: sed in tota rerum Universitate, nulla Res occurrit, quæ talis ac tantæ perfectionis sit, Exemplaris causa, quanta in Dei Idea continetur: Igitur ejusmodi causa *Deus* esse debet. Deus, inquam, sive Res illa summè perfecta, cujus notio, seu conceptus Menti nostræ insidet; ac ideò Deus existit. Et quamvis vi illius Axiomatis, *Nihil esse potest in Effectu, quod non præextiterit in Causa*, non ex qualibet Rei notione, actualem rei conceptæ existentiam manifestari possit, ex illa tamen *notione*, seu conceptu, qui majus ac melius repræsentat, quam in concipiente, & aliis quibusvis Rebus conceptis invenitur, clarè ostenditur: quoniam conceptus ille, nullam aliam habere potest Causam, præter Rem illam Animo repræsentatam, Maximam scilicet, summè Potentem, Æternam, Immensam, & ut verbo dicam, Realissimam.

Caput

Caput Decimum Sextum.

De Dei Veracitate, & quod Hominibus imponere nullatenus poſſit.

I.

Aſſerit Parkerus non poſſe à nobis ullam haberi de Dei perfectionibus Ideam.

POSTQUAM Vir Eximius omnem Dei conceptum è Mentibus noſtris expellere conatus eſt; eo nimirum Argumento nixus, quòd omnis Idea, quæ nobis obverſatur, phantaſiam afficiat: Eadem rationum vi, ejus perfectiones humano ingenio ignotas eſſe aſſerit, & nullo conceptu repræſentabiles. Unde Sectionem vigeſimam ſic orditur: *Cùm autem nullam (quantum intelligis) divinæ ſubſtantiæ Ideam habueris, quæ, quæſo, eſt, quam de illius perfectionibus habere te dicis? Primùm eſſe infinitam. Tunc vero infiniti Ideam cognitam & comprehenſam habes? Nimium tibi aſſentaris.* Quaſi hujus Sectionis initio, monitum vellet, fruſtra quempiam ad Dei Attributorum perceptionem aſpirare, qui ejus naturam non priùs deprehenderit, & cum nullius Subſtantiæ notio occurrat, in vanum ad ejus perfectiones attingendas contendit. Eam ob cauſam, ſtatim Dei Infinitatem obtrudit, quæ cùm ab Intellectu humano comprehendi nequeat, ſic etiam neque ab eo cognoſci poſſe decernit.

II.

Noſtræ Cognitionis certitudo à Dei veracitate dependet.

SED quia tota Cognitionis noſtræ certitudo, à Dei Veracitate dependet, & hæc Regula: *Quicquid clarè & diſtinctè percipio, verum eſt*, ex hac Dei perfectione eruitur, priùs de

de illa, agendum esse existimo, ob rationes, quas Capite septimo tetigi. Quoniam ut prudenter animadvertit Cartesius *prima parte princip. Artic.* 29. primum Dei Attributum, quod hîc venit in considerationem, est, quòd sit summè verax,& dator omnis luminis; adeò ut planè repugnet, ut nos fallat, sive ut propriè ac positivè sit causa Errorum, quibus nos obnoxios esse experimur. Quòd autem Veritas ab eo in nobis evidenter & distinctè percipientibus dependeat, ita concludit *Artic.*30. Atque hinc sequitur, lumen Naturæ, sive cognoscendi à Deo nobis datum, nullum unquam objectum posse attingere, quod non sit Verum, quatenus ab ipso attingitur, hoc est, clarè & distinctè percipitur.

III.

Non committitur circulus in probando cognitionis nostræ certitudinem per Dei existentiam, & Dei existentiam ex clara nostra cognitione.

Clarissimus Vir Sectione decima quinta, ubi hanc doctrinam de Dei Veracitate potissimum impugnat, dubium movet, quomodo hæc duo, intemerata manente ratiocinii essentia, se comitari queant; quòd scilicet perceptionis nostræ evidentia, Dei Existentiam necessario inferat; & vice versa, ex Dei Existentia nostræ cognitionis certitudo concludatur: sive manifestum nobis esse, quia id clarè & distinctè percipimus, & quæ clarè & distinctè percipimus vera esse, quia Deus est. *Sicut igitur*, inquit, *facultates veraces esse ipse non intelligendum statuit, nisi Deum prius esse intelligamus: Ita Deum esse nullo modo intelligi potest, nisi prius facultates veraces esse intelligantur.* Ubi certè Circulus committi videtur, qui passim à receptis argumentandi legibus deflectit. *Cartesius* ad quartas Objectiones distinguit id, quod reipsa clarè apprehendimus, ab eo, quod recordamur nos antea evidenter percepisse. *Primum* enim

enim nobis conſtat, inquit, Deum exiſtere, quoniam ad Rationes, quæ id probant, attendimus. Poſtea verò ſufficit, ut recordemur nos aliquam Rem percepiſſe, ut ipſam veram eſſe ſimus certi ; quod non ſufficeret, niſi Deum eſſe & non fallere ſciremus. Quamvis enim plurima Dei *Attributa* ratiocinatione tantum & diſcurſu nobis innoteſcant, quorum per conſequens ea eſt natura, ut nobis evidentia appareant, niſi cùm Rationes, quæ nobis eorum veritatem perſuaſerunt, animo præſentes ſunt : non inde tamen ſequitur, in Dei Exiſtentia probanda, *Circulum* committi : quia alio modo in Dei Exiſtentiæ, quàm in ejus Attributorum notitiam devenimus. Nam in Dei, ejuſque Exiſtentiæ cognitionem devenimus non ratiocinio & diſcurſu ; ſed attenta ſolummodo ejus *contemplatione*, quæ naturæ lumine, & ita per ſe manifeſta eſt, ut nihil inveniatur, unde lumen mutuari poſſit, cujus ſubſidio, ejus veritas nobis efficacius inſinuetur. Et ita ſtatuimus per ſe notum eſſe, Deum exiſtere.

IV. *ut Dei attributa detegimus, & cur Deus decipere non poſſit.*

POSTMODUM Dei Ideam exactiùs, perpendendo, alia *multa* in Deo detegimus, & per diſcurſum ei convenire oſtendimus, quæ à prioribus per ſe manifeſtis dependent, & cum eis connexa ſunt : Quemadmodum in *Trianguli* Idea, quam nobis inſitam antehac diximus, contingit, de qua ambigere non poſſumus, an *Figura* ſit tribus Angulis comprehenſa ; quamvis Geometræ *Trianguli* rationem poſtmodum accuratiùs animo volventes, plurima per Demonſtrationem, Triangulo conſentire probent, quæ ipſos antea latebant. *Philoſophus* igitur ut Dei Veracitatem aſſereret, Argumentum ab ejus perfectione deſumpſit : quia cùm Deus ſit Ens, ſummè perfectum,

perfectum, & in quo nihil intelligitur, quod aliquem defectum, aut perfectionis limitationem involvat, ei deceptio, aut fallendi Voluntas attribui non potest, cùm omnis fraus à defectu pendeat, & non nisi ex *metu*, vel *malitia* proficiscatur. Quippe Metus potestatis diminutionem arguit; Malitia verò Bonitatis privationem supponit, & cùm neutrum in Deum cadere possit, infert *Philosophus*, nullam Fraudem, aut fallendi Voluntatem, Enti summè Bono, & summè potenti esse adscribendam.

V. *Notio perfectionis, veritatis, &c. est nobis à natura indita.*

AT, quid ad hæc Vir Clarissimus; *Cùm autem Deum esse invenerim, unde sciam non esse deceptorem? Quòd sit summè perfectus. At quî sciam quid sit perfectum, quid imperfectum? quid mentiri, quid verum dicere; cùm fieri possit, ut quod summè perfectum putem, sit summè imperfectum; ut mentiri sit verum dicere; ut nihil sit mendacio melius, veritate nihil deterius: ut denique perceptionibus nostris semper contraria sint ipsæ rerum Notiones?* Si ad conceptus, qui ejus Menti obversantur, Doctissimus Theologus attentè animadverteret, non modò *adventitias* Cogitationes, & quæ à Rebus externis derivantur, deprehenderet; sed plurimas alias *innatas*, quæ illi ab exordio impressæ sunt, & quas non Sensuum auxilio, aut Hominum institutione formavit, ut quod intelligendo quid sit *Res*, quid sit *Perfectio*, quid sit *Veritas*, quid sit *Mendacium*, sibi repræsentet: Quoniam hæc non aliunde possunt, quàm à sua, hoc est, mentis suæ natura, utpote quæ est res vera, & quidem Cogitans. Enimvero quem latet quid sit mentiri, quid verum dicere? Cùm illæ notiones adeò simplices sunt, & per se notæ, ut qui eas Logicis Definitionibus explicare

care aggrederetur, non tam eis evidentiam, quàm obſcuritatem conciliaret. Quem fugere poteſt, quid ſit *Perfectum?* An non quilibet experitur ſe intelligere & velle perfectionem? Eſſe Juſtum, Clementem, Bonum, Veracem, eſſe perfectionem; Vitia autem, & quæcunq; Virtutibus ſunt oppoſita, eſſe imperfectionem? Id quiſque à natura edocetur, & propterea experitur, ſe facultatem habere Ideas illas ex proprii ingenii viribus, abſque ullo Senſuum experimento eliciendi.

VI. *Certius eſt Deum mentiri non poſſe, quam Solem interdiu lucere.*

VERBIS immediatè ſequentibus proſequitur Eximius Doctor: *An verò Carteſi, Deum mentiri non poſſe tam certò te ſcire putas, quàm Solem interdiu, noctu lunam lucere, aut te oculos, te manus, te corpus habere?* Quaſi verò tanta certitudine agnoſcamus Solem interdiu ſplendeſcere, ac nobis evidens eſt, quòd Deus non mentiatur, non fallat, non Erroris ſit cauſa? An ita implicat decipi nos, dum Solem oculos radiis ſuis ferire arbitramur, ac dum Deum Ens omnimodè perfectum eſſe intelligimus, & cui proinde ut Deceptor ſit, repugnat? Quoties in Senſu fallaciam deprehendimus? Quoties *Hydropicus* ſitim patitur? Quoties *Ictericus* Nivem flavam eſſe ſpectat? Quoties qui membro, exempli cauſa, pede carent, ſe dolorem in digitis ſentire conqueruntur? Ea enim eſt Corporis noſtri conſtitutio, ut nulla ejus pars, ab alia parte aliquantum remota agitari queat, quin etiam eodem modo, ab iis, quæ interjacent, moveri poſſit, remotiore etiam quieſcente. In exemplum *Funis* proponatur in quatuor partes diſtinctus A, B, C, D. Cujus ſi quarta pars D trahatur, non aliter prima A movebitur, quàm moveri etiam poſſet, ſi ſecunda pars B, vel tertia

tertia C traheretur, & quarta D, immota maneret. Simili prorsus ratione, cùm pedis *dolorem* sentimus, docere nos potest Physica, Sensum illum, nervorum per *pedem* sparsorum adminiculo excitari, qui inde ad Cerebrum funiculorum instar extenduntur, imo ex Cerebro in omnes Corporis partes educuntur. Hi ergo *nervi* dum in pede trahuntur, (quemadmodum in ponderum elevatione & torturis contingit) eopse momento, intimas Cerebri partes, ad quas terminantur, trahunt, & aliquem *motum* in illis partibus producunt, qui secundum Naturæ ordinem, Mentem *dolorem* percipere facit, tanquam in pede existentem.

VII. *Potest sentiri dolor in una parte corporis, in qua nullus est.*

At quoniam necesse est, Nervos illos per *tibiam*, *crus*, *lumbos*, *dorsum* & *collum* transmitti, à pede ad Cerebrum ut perveniant, facile accidere potest, etiamsi ea Nervorum extremitas, quæ in pede est, non tangatur, sed aliqua tantùm ex interjacentibus in tibia, crure, cæterisque partibus, ut idem ille motus in Cerebro oriatur, qui aliàs à pede malè affecto proficiscitur. Hinc autem necessariò sequitur, Mentem tunc dolorem tanquam in *pede* existentem sentire, qui tamen non à pede, sed ab aliis inter Cerebrum & pedem interjacentibus *partibus* dependet. Et similis naturæ fallacia, in reliquis omnibus Sensuum perceptionibus locum habet.

VIII. *Repugnat Deum posse nos decipere.*

Si igitur ita nobis Sensus imponunt, quidni & cùm *Solem* intueri videmur, decipi possimus? Cum Somno oppressis idem nobis contingat, ut multa cernere, audire, palpare videamur? Quare cum majori certitudine asseverare possumus, *Deum mentiri non posse, quàm Solem interdiu, & Lunam noctu lucere, aut nos oculos*

oculos, manus, corpus habere. Quia cùm Deus sit supremum Ens, non potest non esse etiam summum Bonum & Verum; atque idcirco repugnantiam involvit, ut ab eo aliquid proficiscatur, quod in *falsum* positivè tendat: atqui cùm nihil reale nobis contingere possit, quod ab ipso tanquam omnis perfectionis fonte non manet: realem autem in nobis facultatem ad verum cognoscendum experiamur, & illud à Falso distinguendum, concludendum est, Deum Veracem esse, & mentiri nullatenus posse. Alias non summè perfectus optimo jure diceretur, hoc est, si propriè & efficienter causa Errorum foret, quibus nos obnoxios esse experimur. Hinc Cartesius *prima parte Epistolarum* Epist. LXXXII. Omnem fraudem à defectu pendere, mihi est lumine naturali manifestum; quia *Ens* in quo nulla est imperfectio, non potest tendere in non ens, hoc est pro fine & instituto suo habere non ens, sive non bonum, sive non verum, hæc enim tria idem sunt. In omni autem Fraude esse falsitatem manifestum est, falsitatemque esse aliquid non verum, & ex consequenti non ens, & non bonum.

IX. *Non decipiuntur damnati dum putant se ab Igne torqueri.*

Quod si fortè Eximius Theologus, in suæ rationis probationem adferat, cum plurimorum Theologorum turba, *Dæmones* & damnatos Homines, per Ignis torquentis ideam, sibi à Deo inditam decipi, ita ut firmissimè sibi persuadeant, manifestéque se percipere arbitrentur, se ab *Igne* cruciari, quamvis revera nullus adsit Ignis, qui illos torqueat. Huic Objectioni occurrit Philosophus Responsione ad sextas Objectiones, his verbis: Quod autem repugnet Homines à Deo decipi, clarè demonstratur, ex eo quòd forma deceptionis

ceptionis sit *non ens*, in quod non potest ferri summum Ens. Et in hoc omnes Theologi consentiunt, omnisque Fidei Christianæ certitudo ex hoc pendet. Cur enim à Deo revelatis crederemus, si nos interdum ab ipso decipi arbitraremur? Et quamvis vulgò Theologi affirment Damnatos igne torqueri, non ideò tamen censent ipsos decipi per falsam Ideam Ignis torquentis sibi à Deo inditam, sed potius ab Igne verè torqueri, quia "ut viventis Hominis incorporeus spiritus "tenetur naturaliter in Corpore: sic facilè "per Divinam Potentiam teneri potest, in-"corporeo igne, &c. Vide *Magistr. lib. 4. sent. dist. 44.*

X.

In Deo neque est potentia, neque voluntas decipiendi.

ALIA ratio, quæ Cartesium adegit, ad Dei Veracitatem affirmandam est, quòd cùm ad Fallaciam pertexendam duo concurrere animadverteret, *Potentiam* scilicet decipiendi, & decipiendi *Voluntatem*, & cùm utrumque imperfectionem implicet, neutrum in Deum cadere posse statuit. Nam quamvis fallendi potestas, nonnullum ingenii argumentum apud Homines videatur, quatenus aliquam in Intellectu subtilitatem ostentat, si illa tamen propiùs inspiciatur, imbecillitas potiùs, & impotentia dicenda est. Nam quid aliud aliis imponendi Facultas indicat, quàm à Vero posse deficere? Quod certe *Perfectioni* adversatur. Decipiendi autem *Voluntas*, non aliundè quàm ex metu, vel in Affectibus pravitate provenire potest, quod utique ab Ente summè perfecto alienissimum esse putat, quisquis Dei naturam percipit.

CLA-

CLARISSIMUS Vir autem Deum fallere posse metuit, modo in illa deceptione absit delictum, & citra alicujus injuriam committatur. *Saltem*, inquit (certo Deum mentiri non posse te scire) *mihi solum probes quodvis in deceptione delictum esse, nisi cum injuria copuletur; si enim non noceat, peccatum esse nego.* Id est, inter nostras Cogitationes, & Dei Veracitatem ordo, tantaque est illarum ab hac dependentia, ut nullam prorsus *Certitudinem* sortiantur, nisi de illo Dei Attributo nobis primùm constiterit. Quia cùm Deus omnis luminis Naturalis, seu claræ perceptionis largitor sit; sequimur hanc cognoscendi facultatem, utpote à Deo nobis datam, nullum unquam objectum posse attingere, quod non sit verum, quatenus ab ipsa attingitur, hoc est, quatenus clarè & distinctè percipitur. Verùm, an non damnum nobis inferri censet Doctissimus Theologus, si postquam Deus *promisso* se adstrinxit, Cogitationes nostras modo speciali recturum, nos postmodum circumducat, & in Errorem præcipitet? Non enim inter hujus Veracitatis objecta, promissa duntaxat reponuntur, quæ Deus vocibus, vel literis se tuiturum significavit: Verùm etiam, quicquid Signis, Testimoniis, Ideis quibuslibet, ut certa Menti exhibuit, seu per interposita Corpora, seu immediatè per suas ipsius cogitationes. Nam cùm Rerum omnium sit Opifex, omnia exequitur, quæ se facturum pollicitus est. Unde hæc notitia, Quisquis *facultate* cognoscendi rectè utitur, is Veritatem offendit; seu rectè *Intellectu* utenti Veritas occurrit, quam Deus Mentibus nostris ita infixit, ut de illa ambigi non possit; est veluti primum *promissum*, quod Deus sine in-

XI. *Deus uti deceptione uti non potest, etiam ea, quæ committitur citra delictum.*

juris infringere non potest; cùm Verax sit, hoc est, dator omnis luminis, Bonus veræ cognitionis, &c. Quod enim absoluto suo imperio Mentibus nostris præsens, vel futurum esse voluit, haud putandum est, ut id aliquando improbet, & priori Voluntatis actui alterum opponat.

XII. *Deus non ad formale actus, sed materiale tantùm concurrit.*

Si dicas Deum Errori patrocinari, cùm ad *actus* Voluntatis eliciendos concurrat, judiciisque nostris adsit, in quibus decipimur. Id liberè conceditur, si ad *Materiale*, non autem ad *Formale* attendatur. *Actus* enim boni, & veri sunt, si in ordine ad Deum spectentur, à quo dependent; & major in nobis quodammodò perfectio reputatur, quòd à nobis elici possint, quàm non elici. *Privatio* verò, in qua sola, formalis Veritatis ratio consistit, nullo Dei auxilio indiget, quia non est *Res*, neque ad illum ut Causam relata, privatio, sed *Negatio* tantummodò appellari debet.

Caput

Caput Decimum Septimum.

Deus quamvis Infinitus, per Ideam finitam, à nobis cognosci potest.

CUm Deus Res Summa sit, & omnes perfectiones undique infinitas complectatur, objiciendi, seu potiùs dubitandi occasionem Viro Clarissimo præbuit; an Deus à Mente humana atringi posset, præsertim cùm Infinitus sit, & nullis limitibus circundatus; *Quæ quæso est Idea*, inquit Sectione vigesima, *quam de illius perfectionibus habere te dicis? Primùm esse infinitam. Tunè verò infinitè ideam cognitam & comprehensam habes? Nimium tibi assumis.* Inficiari non possum, quin ille sibi affingeretur, nimiùmque ingenio suo daret, qui *Infinitam* Substantiam se posse comprehensam habere arbitraretur. Quippe Infinitum, qua tale, humanæ cogitationis angustias transgreditur, & nullatenus comprehendi potest. Nihilominus non obest, quin à nobis percipi queat, in quantum clarè & distinctè intelligimus aliquam Rem hujusmodi esse naturæ, & nulli planè limites, in ea reperiri possint; Et id est clarè intelligere Rem illam esse Infinitam. Unde illud inter *Infinitum* & *Indefinitum* discrimen statuimus, quòd *Infinitum* proprie tantùm nuncupemus, in quo nulla ex parte terminos, seu limites reperiamus, quo sensu, solus *Deus* Infinitus esse dicitur. Illa verò, in quibus sub aliquo tantùm

I. *Infinitum etsi à Mente humana comprehendi non possit, potest tamen intelligi.*

reſpectu finem non agnoſcimus ; ut *Spatii* ultra Cœlos protenſi Extenſio ; *Partium* in Corpore Diviſibilitas, & ſimilia, *Indefinita* quidem vocamus, non autem Infinita, quia non omni ex parte, ſine deſituuntur. At quo pacto, illa Diſtinctio nobis innoteſceret, niſi Infiniti Ideam haberemus, & ni illud clarè & diſtinctè apprehenderemus ?

II. *Aliud eſt Infinitum apprehendere, & aliud comprehendere.*

Verum ſi Viro Eximio credimus, nihil de Infinito noſcimus, niſi illud undequaque noſcamus, hoc eſt, comprehendamus : Cùm verò Mens noſtra imbecillis ſit, & non niſi ad pauca extendatur, quî Infinitum ſibi repræſentabit ? *Quanta enim cumque Mens ſis, finita es. Dic ergo, quî finitæ facultatis modulo infinitum comprehendas ? Si non comprehendis, finita eſt, quamcumque habes Ideam ; & ſi finita ipſa ſit, finitum eſt, quodcumque repræſentat.* Certè aliud eſt conceptum & notionem Infiniti habere, & aliud ipſum Infinitum comprehendere : quia etſi *finita*, & ad ingenii noſtri modulum accommodata cognitione, Infinitum attingamus, non autem perfectè & adæquatè illud intelligimus. Hanc enim cognitionem nemo habet, non modò de *Infinito*, ſed nec de minima etiam Re alia, quam concipiendam aggreditur. Quis enim *Pulviſculi*, exempli cauſa, notitiam perfectam habet ? Quis eorum omnium, quæ illi inſunt, aut eſſe poſſunt, conſcius eſt ? Aſſignet, qui id aſſerere præſumit, omnes ejus particulas, ejus motus, gradus & modos enumeret, ejus figuras metiatur, & illa præcisè determinet, quæ illum à cæteris corpuſculis dirimunt. Clarè quidem omnia, quæ ad hoc corpuſculum ſpectant, Deus intuetur, & peculiares modos, quibus affici poteſt, diſtinctè pervadit. At

cùm

cùm nulla assignari queat ratio, qua ad credendum adigamur, conceptus nostros, Divinæ Cognitioni æquiparari, incassum præsumimus, Ideas nostras posse Rei alicujus esse adæquatas. Interim quanquam non nisi imperfectè Corporea à nobis apprehendantur, non inde sequitur, non dari Corporum notitiam; Ita nihil obest quominus infinitum à nobis percipiatur, quamvis non adæquatè & comprehensivè cognitione.

III. *Deus magis est intelligibilis quam quodvis aliud creatum.*

Imo licet Deus ob perfectionum suarum exuberantiam, magis humano Intellectui incomprehensibilis sit, quàm quodlibet aliud Ens Creatum, nihil tamen obest quominus magis ab eodem cognoscibilis dicatur: ad eum modum, quo *Sol* licet suo splendore oculos offuscet, nihilominus validius se ipsis ingerit, quàm nebulosæ Stellæ, quæ suis radiis eos debiliùs lacessunt. Uti enim luminis copia ad Visionis claritatem confert; ita ubi plus entitatis, seu perfectionis reperitur, plus conceptibilitatis seu cognoscibilitatis exurgit.

IV. *ut Infinitas & res infinita sunt in nostro intellectu.*

Urget Vir Clarissimus; *si non comprehendis, finita est, quamcumque habes Ideam, & si finita ipsa sit, finitum est quodcumque repræsentat.* Mihi quod respondeam, in promptu est; nec Infinitatem, nec Rem ipsam, quæ Infinita est, in cogitatione nostra residere; imo nullum est Dei Attributum, quod in Mente isto modo versatur; aliàs cogitatio mea Deus dicenda esset, quandoquidem quælibet ejus perfectio, ab eo realiter non distinguatur, & res eadem sit cum Deo. Sunt igitur tantummodò in cogitatione nostra certæ quædam *delineationes*, & umbratilia indicia, è quibus Rem Infinitam, hoc est, Deum

existere deprehendimus. Non tamen necessum est, ut delineamenta ista, iisdem perfectionibus instruantur, quas Res illa possideret, quam Menti exhibent; alioquin non Imagines & tabulæ forent, sed ipsum Exemplar. Nec dici debet, à Dei Infinitate alienum esse, ut alio modo, quàm perfectissimo repræsententur; imo maximè consentaneum est, ut per Rem *aliam* ab ipsa diversam perfectissimè non exhibeatur; quoniam hoc dato, duo Dii forent assignandi, sive duæ Res perfectissimæ, quod implicat.

V. *Deus non potest per Cogitationem perfectissimè repræsentari.*

Suspicor quid contra hoc reposituras sit præclarus Theologus, nempe hanc quæstionem moveri de Re Infinita, *objectivè* modo perfectissimo repræsentanda, non autem *subjectivè*; quæ duo se patiuntur, nec sese in rebus diversis tollunt, aut adversantur. Etsi id cum quadam Veri specie objici posse videatur, dico tamen falsum esse. Nam quis, ubi de Rebus Cogitantibus sermo instituitur, dixerit, hæc cognitio, perfectissimam & infinitam Cogitationem modo perfectissimo repræsentat? planè idem est ac si diceret, hæc cogitatio est perfectissimè *cogitans*, hoc est, est ipsamet Cogitatio perfectissima & infinita; ac proinde perfectè objectiva Infiniti imago, seu repræsentatio, reperiri non potest, nisi in Re, quæ revera est Infinita. Unde Christus, qui à D. Paulo *Splendor paternæ gloriæ, & imago Substantiæ illius* vocatur, Deus quoque est subjectivè, quoniam perfectissima Dei imago est, & vice illius.

VI. *Infinitas à re, quæ infinita dicitur distinguenda.*

Cum Cartesius, ut similium argumentorum, quæ contra claram & distinctam Infiniti notitiam, à Theologis, aliisque Philosophis proposita sunt, vim eluderet, ingressisetque

ad

ad perfectam Rei cognitionem habendam, non necessarium esse, ut adæquata sit & comprehensiva, sed sufficere, si pauca intelligantur, quamvis cætera in Mentis conspectum non veniant, subjecit Eximius Doctor. *Itane? Infiniti igitur Ideam non habes, sed solum finiti; cùm, si non omnia, quæ in infinito sunt, partem tantùm infiniti apprehendis: at infiniti pars non est ipsum totum infinitum.* Cartesius suæ assertionis sensum dilucidiùs explanaturus, distinguit inter rationem *formalem* Infiniti, sive infinitatem, & *Rem*, quæ est infinita; nam quantum ad *Infinitatem*, etiamsi illam intelligamus esse quàm maximè positivam, non tamen nisi negativo quodam modo intelligimus, ex hoc scilicet, quòd in *Re* nullam limitationem advertamus: ipsam verò Rem, quæ est infinita, positivè quidem intelligimus, sed non adæquatè, hoc est, non totum id, quod in ea intelligibile est, comptehendimus; sed quemadmodum in *Mare* oculos convertentes, etsi non totum visu attingamus, nec immensam ejus vastitatem metiamur, dicimur tamen illud videre. Pari modo, etsi *Montis* alicujus valde excelsi magnitudo non patiatur, ut brachiis totum illum complectamur, nihil tamen obstat, quominus illum manu tangamus, & sensu adeò evidenti, ut clarè & distinctè illud nobis innotescat.

VII. *Cognitio quam de Deo habemus, finita est.*

AT quantumcunque distinxeris, addit Vir Eximius, *nihil proficies, nisi quod id ipsum distinctionibus tollas, quod antea argumentis posueras: ut cùm priùs Deum Infinitum esse, quod de eo infinitam Ideam haberes, concluseris, te nunc excusatum putas, quod omnem infiniti Ideam finitam esse inquias; & tamen quanquam istâ tuâ excusatione præmissas sustuleris, à conclusione di-*

moveri nolis. Sed vereor ne his verbis aliquid Philoſopho imponat, quod ab ejus Mente prorſus alienum eſſe exiſtimo: Deum ſcilicet *Infinitum* eſſe, quod de eo *infinitam Ideam* habuerit. Loca precor adferat, ubi *Carteſius* ſe infinitam Rei Infinitæ Ideam habere aſſerit; cùm implicet, ut ante monui, ut Infinitum ipſum, aut ipſa infinitas in *Intellectu* noſtro verſentur, niſi quis ei Divinitatem aſſignet, & Deum à concepru non diſtinguat. Admittit quidem *Philoſophus*, ſe Entis ſummi & perfectiſſimi Ideam habere, ſed illam infinitam eſſe, hoc eſt, ſummam & perfectiſſimam eſſe abnuit. Imo Reſponſione ad primas Objectiones, expreſsè teſtatur, eam, quam de Deo habet cognitionem finitam eſſe & inadæquatam. Ego, inquit, ubicumque dixi, Deum clarè & diſtinctè poſſe cognoſci, non niſi de hac *finita*, & ad modulum ingenii noſtri accommodata cognitione intellexi. Et ad ſecundarum Objectionum *Autorem*, qui Dei Ideam, quemadmodum numeri infiniti, aut lineæ infinitæ, haberi non poſſe obtendebat, reſpondet *Philoſophus*: Cùm dicitur Deus *incogitabilis*, intelligitur de Cogitatione ipſum adæquatè comprehendente: non autem de illa inadæquata, quæ in nobis eſt, & quæ ſufficit ad cognoſcendum ipſum exiſtere. Imo ea eſt *Infiniti* natura, ut planè repugnet, ut ſi quid comprehendam, id, quod comprehendo ſit infinitum. Idea enim infiniti ut vera ſit, nullo pacto comprehendi debet, quoniam ipſa *Incomprehenſibilitas* in formali ratione Infiniti continetur, & nihilominus manifeſtum eſt, Ideam, quam Infiniti habemus, non tantùm aliquam ejus *partem*, ſed revera totum Infinitum repræſentare, eo modo, quo per humanam

nam Ideam exhiberi poteſt, in quantum ſcilicet omnium perfectionum eſt complementum.

VIII. *Non requiritur ad Rem cognoſcendam ut omnes ejus proprietates noſcantur.*

NAM dum ejus *Potentiam*, exempli cauſa, cogitamus, etſi de illius objectis quicquam determinare non valeamus, agnoſcimus tamen tantam eſſe, ut nihil ei reſiſtere queat; Et ita de cæteris Dei Attributis diſſerendum eſt, quorum notiones ſatis in nobis perſpicuæ ſunt, ut judicemus illa in eo realiſſima, ſimpliciſſima, adeóque infinita eſſe. Non tamen inficias eo, quin alia Dei notio multò hac ſit perfectior, hoc eſt, accuratior & diſtinctior, aut ab ipſo *Deo*, aut ab alia Natura Intelligente haberi poſſit, eadem ratione, qua dubium non eſt, quin *Geometriæ* imperitus, totius *Trianguli* Ideam habet, cùm Figuram tribus lineis comprehenſam intelligit; etſi à Geometris alia multa de eodem *Triangulo* cognoſci poſſint, atque in ejus conceptu animadverti, quæ ab illo ignorantur. Quemadmodum enim intelligere ſufficit *Figuram* tribus lineis contentam, ad habendam totius Trianguli Ideam: ita quoque ſatis eſt, *Rem* intelligere nullis limitibus comprehenſam, ut genuina & integra totius Infiniti Idea habeatur.

IX. *Duo in Idea conſideranda ſunt, formale & objectivum.*

EXPLOSA igitur à Mente humana, infinita Entis perfectiſſimi Idea, inadæquatam impugnare aggreditur Vir Clariſſimus, oſtendendo neceſſarium non eſſe, ut finita Idea à Re ſumma producatur; ſed quamcumque cauſam ad illam efformandam ſufficere. *Si verò finita ſit Dei Idea, infinitam cauſam non exigit, etſi non exigat, finitâ produci potuit; & ſi potuit, ruit tota demonſtratio, quæ huic ſoli principio innititur, infinitæ Ideæ infinitam cauſam eſſe oportere, quod tantumdem ad minimum*

eſſe

esse debeat realitatis formalis in causa, quantum reperitur objectivæ in Idea, atque idcirco cùm Ideæ objectiva infinita sit, causæ quoque, quæ eam produxit, infinitam formalem esse. Animadvertendum est, duo in quacumque notione, seu Idea consideranda esse. Unum, Proprium seu formale, quatenus est Mentis operatio seu cogitandi Modus. Alterum, Objectivum seu vicarium, in quantum est rei apprehensæ Imago, seu quatenus est vice illius. Licet Idea quatenus Mentis nostræ *operatio* est, nullam aliam, præter Mentem nostram causam exigat, quia cùm sit Res Cogitans, talem operationem eliciendi par est. Aliam tamen exigit, quatenus talis est, sive quatenus ab omnibus aliis Cogitationibus distinguitur, & quatenus Idea *Dei*, exempli causa, Substantiam Infinitam, Independentem, summè Intelligentem, summè Potentem nobis repræsentat. Et certè talis Idea neque à Mente nostra, neque à quacumque Causa alia *finita* proficisci potest. Nam licet ipse ego, exempli causa, Ideam Substantiæ in me habeam, ex hoc ipso, quòd sim Substantia, ac proinde causa Exemplaris esse possim illius Ideæ secundum esse vicarium spectatæ, nequeo tamen istius Ideæ exemplar esse, quatenus mihi *Infinitum* exhibet, quia hoc esse objectivum, non se habet ut vicarium mei esse tanquam alicujus principalis. Quare necessum est, ut ab aliqua causa, quæ revera Infinita est, procedat. Unde patet Dei Ideam, quamvis finitam, Causam Infinitam exigere, & *Finitâ produci* non posse.

X.

Quo sensu intelligitur Infinitas esse quid negativum.

Etsi Distinctio, quam supra tetigimus, inter Substantiam Infinitam, & ipsam Infinitatem, cuique Philosopho sit obvia, assentiri tamen

tamen præclarus Theologus nequit, quòd Res Infinita quàm maximè *positivam* intelligatur, Infinitas verò, non nisi ut quid *negativum* concipiatur, quandoquidem eo concesso, nihil ad Infinitam Substantiam stabiliendam suppeditetur. *Cinque mones, (etiamsi nihil demonstrant manita) positivam esse rei Infinitæ Ideam, Infinitatis negativam; quid agis, nisi quod fatearis rei, quæ reipsa fortè infinita est, solam finitam Ideam te assequi? Cùm itaque tuo sensu infinitam esse dicis, te nihil intelligere fateris, quid enim aliud est negativa Idea, quàm Ignorantiæ confessio?* Non sequitur ex eo, quòd in Re Infinita nullam limitationem advertamus, quòd limitationis negatio in *Finiti* cognitionem ingrediatur: quoniam illud, per quod Infinitum Finito discrepat, *positivum* est, & reale: E diverso limitatio; qua Finitum ab Infinito distinguitur, est *non ens*, sive entis negatio. Manifestum est autem apud omnes Philosophos, id quod non est, non posse nos in illius notitiam adducere, quod est. Sed contra ex Rei cognitione, ejus negatio percipi potest. Quando igitur dixit *Cartesius*; quantum ad Infinitatem, etiamsi illam intelligamus esse quam maximè positivam, non tamen nisi negativo quodam modo intelligimus, ex hoc scilicet, quòd in Re nullam limitationem advertamus; vulgarem loquendi modum secutus est, quemadmodum & Infiniti nomen retinuit, quod tamen rectiùs *Ens Amplissimum* vocari posse alicubi existimat, si omnia vocabula Rerum naturis conformia esse vellemus: quoniam verò usus invaluit, ut Infiniti nomen per *limitationis* negationem exprimatur, tanquam si ad Rem maximam designandam, non parvam esse, seu nihil

planè

plane parvitatis includere, dicere ſufficeret.

XI. *Infinitum non includit in ſua natura negationem limitationis.*

Ab hoc loquendi ritu deflectere noluit Carteſius, quanquam nullibi ſcripſerit *poſitivam* Infiniti naturam, per *negationem* cognoſci, imo Meditatione Tertia, attendendo Ens Infinitum idem ſignificare, quod *perfectiſſimum*, ita loquitur: Nec putare debeo me non percipere Infinitum per veram Ideam, ſed tantum per negationem finiti, ut percipio *quietem*, & *tenebras*, per negationem motus & lucis; nam contra manifeſtè intelligo plus realitatis eſſe in Subſtantia Infinita, quam finita, ac proinde priorem quodammodo in me eſſe perceptionem Infiniti, quàm finiti, hoc eſt, Dei, quàm mei ipſius: qua enim ratione intelligerem me dubitare, me cupere, hoc eſt, aliquid mihi deeſſe, & me non eſſe omnino perfectum, ſi nulla Idea entis *perfectioris* in me eſſet, ex cujus comparatione defectus meos agnoſcerem?

XII. *Deus clarè & diſtinctè à nobis attingitur, etſi illum non comprehendamus.*

Similitudinem quoque, quam à Maris intuitu Philoſophus deſumpſit, ad oſtendendam claram & diſtinctam haberi poſſe notitiam, licet Rei non ſit adæquata & perfecta, rejicit Vir Clariſſimus, & veluti ipſi adverſam inculcat: *Quam denique affers ſimilitudinis rationem cum ſcilicet in mare oculos convertimus, etſi* non totum viſu attingamus, nec immenſam ejus vaſtitatem metiamur, dicimur tamen illud videre: *Nonne vides contra te valere, cùm quicquid videre dicamur, non tamen videamus? Sed aliquouſque intenditur oculorum acies, & nihil ulterius intuentur.* Quid tum! An propterea mare non intuemur, quia totum *Mari* non diſcernimus? *Deum* mente attingo, ergo niſi illum comprehendam, hoc eſt, omnia, quæ in Deo ſunt, cogitandi actu capiam

capiam ac teneam, non Deum percipere dicendus sum? Quis abnuet ex sola depicta *faciei* Imagine, Hominem distinctè cognosci, quamvis Corporis reliquum occultetur, & nulla pectoris, crurum, &c. delineatio adsit? Nihil in rem facit, si dicatur, per humani vultus delineationem, non totum Hominem exhiberi, sed *ex parte* depicta, in Totius notitiam ratiocinando deveniri: Quia cùm Deus partibus careat, & tantùm Attributa, sive perfectiones illi insint, non potest aliqua ejus pars, per ejus Ideam repræsentari, sed ex unius Divini Attributi notitia in alterius notitiam discurrendo deduci. Unde postquam *Philosophus* dixit *Mare* videri posse, etsi totum oculis non perlustretur, immediatè subjunxit: Et quidem si eminus respiciamus, ut quasi totum simul oculis complectamur, non videmus nisi confusè, ut confusè imaginamur *Chiliogonum*, cùm omnia simul ejus latera complectimur; sed si cominus in aliquam Maris partem obtutum defigamus, talis visio potest esse valde clara & distincta, ut etiam imaginatio *Chiliagoni*, si tantùm ad unum, aut alterum ejus latus se extendat.

XIII. *Deus clarè & quoad singulas ejus perfectiones perspicuè intelligi potest.*

SIMILI ratione, Deum ab humana Mente capi non posse, cum omnibus Theologis concedo, & nequidem etiam distinctè posse cognosci ab iis, qui totum simul conantur animo complecti, & tanquam è longinquo respiciunt. Quo sensu dixit *Sanctus Thomas* Dei cognitionem sub quadam tantùm *confusione* nobis inesse: Qui autem ad singulas ejus perfectiones attendere, illasque non tam capere, quàm ab ipsis capi, & Intellectus sui vires omnes in *iis* contemplandis occupare conantur, illi profectò multò ampliorem facilio-

cilioremque materiam claræ & distinctæ cognitionis in eo inveniunt, quàm in ullis Rebus *Creatis*.

XIV. *Ex rerum progressu deveniri non potest ad Dei cognitionem*

PROGREDITUR Clarissimus Theologus: *Ita cùm Deum infinitum intelligere dicimur, aliquousque intelligendo progredimur, ut quicquid ultra intelligimus, finitum est, & cùm illius perfectionem latiùs patere intelligamus, quam ut ulla Intellectus acie assequi possumus, infinitam esse divinus, quod quanquam conceptus nostros, nullum tamen illius finem agnoscamus.* Nihil penè objicit, ad quod prius Philosophus non responderit; quippe Responsione ad primam Objectionem, profitetur se argumentum suum non desumpsisse ex eo, quod videret in *Sensibilibus* esse ordinem sive successionem quandam Causarum efficientium: Tum quia *Deum* existere multò evidentiùs esse patuerat, quàm ulla res sensibiles: Tum etiam, quia per ens sarum istiarum *Successionem*, non aliò deveniri posse videbatur, quam ad imperfectionem Intellectus sui cognoscendam, quòd nempe comprehendere non posset, quomodo infinitæ tales Causæ sibi mutuo ab æterno in successerint, ut nulla fuerit prima. Nam certè ex eo quòd istud comprehendere non posset, non sequitur aliquam primam esse debere, ut neque ex eo infinitas *Divisiones* in quantitate finita comprehendere non valeam, sequitur aliquam dari ultimam, ita ut ulterius dividi non possit, sed sequitur secundùm Intellectum meum, qui est finitus, Infinitum capere non posse. Id quoque insinuare videtur Eximius Vir verbis sequentibus: *Cùm sane cuivis liceat perfectissimam, quam pro suis viribus fabricare possit Ideam, & cùm longiùs progredi se non posse sentiat; exclamare infinities perfectiorem esse & fabri-*

fabricare posse, quanquam ipse præ captus angustiâ, non possit omnem illius amplitudinem comprehendere.

XV. *Per rerum amplificationem perveniri non potest ad Dei existentiam.*

NEMINI non potest, quin in Mente nostra, *Facultas* sit, ad Rerum Ideas ampliandas, sed quamvis earum perfectiones augeantur, nunquam eò deveniemus, ut cum Divinis essentialiter conveniant, ac proinde ut per illarum Ideas, Dei Idea in nobis oriatur. Nam quotvelis gradibus *Creatam* perfectionem amplifices, nunquam ideirco Divina evadet, nisi impetu, ut ita dicam, & veluti saltu infinito, uno vice à perfectione *creata*, ad aliud quid omnino diversum transitus fiat. Unde longè dilucidiùs *Philosophus* rem aperit Meditatione Tertia, quam hîc Vir Clarissimus. Dum in me ipsum Mentis aciem converto, inquit, non modò intelligo me esse rem *incompletam*, & ab alio dependentem, remque ad majora & majora, sive meliora indefinitè aspirantem: sed simul etiam intelligo Illum, à quo pendeo, majora ista omnia non indefinitè & potentiâ tantùm, sed re ipsâ infinitè in se habere, atq; ita Deum esse.

XVI. *Nullatenus Deus adæquatè cognosci potest.*

POSTQUAM sat exspatiatus est præclarus Doctor in ostendendo imparem esse Mentem humanam, ad omnes Perfectiones Divinas adæquatè concipiendas, quod illi ultrò concedimus, se ipsum alterius nomine interrogat. *An igitur, inquies, nullum habemus infiniti conceptum? Habemus sanè, atqui eo modo, quo dixi, non quòd absolutam & infinitam illius Ideam habeamus, sed solùm quòd tale quidpiam esse, qualecunque fuerit, ratione concludamus.* Sufficienter in præcedentibus monui, adæquatum Dei conceptum à Mente humana haberi nullatenus posse ac proinde frustra

frustra illius mentionem amplius fieri, ut ostendatur Deum per absolutam & *infinitam* notionem nobis repræsentari. Nam quis perfectam Rei etiam minimæ notitiam habet? Prodeant Metaphysici, qui *Ens* in genere sibi ita notum existimant, ut primum cognitum apud omnes censeatur, nemo tamen eorum, opinor, omnia Entis *Attributa*, quatenus Ens est, se explicitè cognoscere asseret: Ita quid Deus sit, manifestè quidem percipiunt, licet innumera in Divinarum perfectionum abyssо latentia non attingant.

XVII. *Absq; Idea Deus nullo modo apprehendi potest.*

Quo pacto igitur, in Dei notitiam deveniemus? *Non quod absolutam*, inquit, *& infinitam illius Ideam habeamus, sed solùm quòd tale quidpiam esse, qualecunque fuerit, rationes concludamus.* Hinc præter Viri Clarissimi Mentem, infero, nos veram Dei Ideam habere. Nam qui Rem aliquam existere Ratione concludam, si ejusdem Rei nulla in me Idea sit? Sive si illa Menti meæ non obversetur? Nam cùm Mens *simplici* intuitu Rem contemplatur, tum illius Rei speciem, seu imaginem efformat; ubi judicat, duas aut plures *Imagines* connectit; ubi discurrit, vel in motu circulari acta, primas Ideas cum posterioribus copulat; At qui nullam Dei Ideam animo volvit, quomodo Deum existere percipiet, judicabit, aut ratione inferet? Quomodo *illud* qualecunque fuerit, Infinitum dari concludet, si ignotum sit, hoc est, si nulla ejus Idea, notio, conceptus Menti exhibeatur? Id aliàs Reverendo Domino decernendum relinquo.

Alius

XVIII. *Possumus claram & distinctam Dei Ideam habere, etsi non Deum comprehendamus.*

Aliquis, qui cum remonetur scrupulus tollendus est, qui diuturnus, si comprehensivam Dei cognitionem habere non possumus, ut clarum nihilominus & distinctum Divinæ Ideæ conceptum consequamur. *Si enim non adæquatè, neque clarè & distinctè, omnis enim imperfecta cognitio (qualis est inadæquata) pro suo imperfectionis gradu, obscura est & confusa. Cum itaque tam longè absit, adæquatam, ut tu vocas, sive ut ego, claram & distinctam Dei Ideam habeamus, tuis principiis, utcumque distinxeris, confecta res est, & tollitur omnis illius existentiæ certitudo.* Quamvis eadem pluries repetere, penè ad nauseam coacti fuerimus, quia tamen quicquid alicujus *difficultatis* speciem præ se fert, non intactum relinquere statui, & ad hanc aliquid etiam reponere visum est. Quando igitur clara & distincta Rei Idea nobis inesse dicitur, non ita accipiendum est, quasi in Re, quam clarè & distinctè cognoscimus, omnia Attributa, omnesque ejus proprietates intelligamus; talis enim conceptio planè repugnat. Nam ut sumpto anteà *Cartesii* exemplo utamur; possum perspicuam & distinctam Trianguli Ideam habere, quamvis omnes Trianguli proprietates, quas de eo Mathematici demonstrant; ut quòd *Angulus* externus in *Triangulo* sit æqualis duobus rectis internis & oppositis: Quod omnes tres Anguli duobus rectis sint æquales: quòd major Angulus in *Triangulo*, semper à majori latere subtendatur, &c. Quemadmodum itaque intelligere sufficit figuram tribus lineis comprehensam, ad habendam *Trianguli* Ideam; Sic etiam satis est Rem nullis limitibus comprehensam intelligere, ut vera, integra totius Infiniti Idea habeatur. Quod

inde evidens apparet; Nam sicuti nullæ proprietates de Triangulo probari possunt, quæ ab illa Trianguli Idea alienæ sunt, quam priùs de Triangulo quis habuit: similiter nullæ de Deo Perfectiones demonstrari queunt, quæ in Idea, quam de Deo habuit, conclusæ non fuerunt.

Caput Decimum Octavum.

Realitas objectiva, sive Cogitationum nostrarum esse objectivum non est nihil, verùm aliquid in ipsis reale & perfectum.

I. *Objicitur quod objectiva realitas nihil sit.*

UT in congenitam Dei notionem tutiùs Vir eximius invehatur, & *Cartesii* argumentum ex Infiniti idea desumptum, ad Dei existentiam probandam fortiùs convellat, Realitatem objectivam, seu Artificium objectivum è medio tollere conatur, tanquam nomen inane, & *ens* à sola *Cartesii* mente depromptum. Quippe ubi inadæquatum Rei conceptum cum evidentia stare non posse, tota *Sectione vigesima* contendit, & confusionem individuam esse imperfectæ cognitionis comitem: tandem ex hoc labyrintho elapsus, in alterum sequenti Sectione devolvitur, ut scilicet Ideam sua perfectione exuat, & nihil prorsus ab objectis mutuari demonstret. Sed hoc opus, hic labor est. *At quid quæso, ita* Sectionem vigesimam primam incipit, *est ista realitas tua objectiva, quam ubique tanto*

strepitu

strepitu evehis & miraris? Et cùm scripsisset Cartesius Ideam esse ipsam rem cogitatam, quatenus objectivè est in Intellectu. *Præclarè*, subnectit, *At quid est esse objectivè in Intellectu?* Et Cartesium respondentem introducens, id aliud non esse, quàm esse in Intellectu, eo modo, quo objecta in eo esse solent. Ad hæc simulata admiratione, *Quam diffugiunt tenebræ, quàmque perspicua fiunt omnia! Quis responsum clarius ex ipso Sibyllæ antro expectaret, quàm Objecta in intellectu eo modo esse, quo esse solent, hoc est, in Intellectu eo modo esse solere, quo esse solent?*

II. *In Idea duo sunt attendenda, ipsa Mentis operatio, & ipsa rei repræsentatio.*

Imo & diffugerent *Tenebræ*, & perspicua fierent *omnia*, si duo in omnibus Cogitationibus considerasset: *unum*, quòd quædam sint Mentis nostræ operationes, sive ut ante dictum est, operandi Formæ, in hanc illamvè faciem velut conformantes: *Alterum*, quòd sint Repræsentationes, sive quædam picturæ illarum rerum, quam nobis exhibent. Certum autem est, quòd simplices cogitandi Modi, alia ratione in Mente nostra non versentur, quàm ipsæ rerum Imagines & picturæ, quæ peregrina objecta repræsentant. *Priores* enim à Mente utpote Re Cogitante promanant, eique pari modo inhærere videntur. *Posteriores* verò magnum nanciscuntur discrimen, prout ad Res diversas, quas exhibent, referuntur. Quare mirum non est, si dixit *Cartesius*, Rem cogitatam in Intellectu esse, eo pacto, quo objecta esse solent. Nam cùm Eruditus quidam fœderati Belgii Theologus objecisset; objectivè esse in Intellectu, aliud non esse, quam denominationem extrinsecam, & nihil rei; Respondet *Philosophus* Theologum ad Rem ipsam, tanquam extra In-

tellectum positam respexisse, cujus ratione, est sane denominatio extrinseca, quòd sit objectivè in intellectu; illum autem de *Idea* loqui, quæ nunquam est extra Intellectum, & ratione cujus, esse objectivè non aliud significat, quàm esse in Intellectu, eo modo, quo objecta in illo esse solent.

III. *Ut objecta dicuntur esse in Intellectu exemplo Solis ostenditur.*

Ita exempli causa, si quis quærat quid *Soli* accidat, ex eo quòd sit objectivè in meo Intellectu, optimè respondetur nihil ei accidere nisi extrinsecam denominationem, quòd nempe intellectus operationem per Modum Objecti terminet: Si autem de Idea Solis quæratur quid sit, & respondeatur, illam esse rem cogitatam, quatenus est objectivè in Intellectu, nemo intelliget illam esse ipsum *Solem*, quatenus in eo extrinseca est denominatio: neque ibi, *Objectivè esse in Intellectu*, significabit ejus operationem per modum objecti terminare, sed in Intellectu, eo modo esse, quo solent ejus objecta; adeò ut Idea Solis sit ipse *Sol* in Intellectu existens, non quidem formaliter, ut in Cœlo, sed objectivè, hoc est, eo modo, quo objecta in Intellectu esse solent. Quid clarius efferri potest, ad ostendendum, quo pacto res in Intellectu resideant, sive ut earum Ideæ Menti obversentur?

IV. *Objicitur Cartesiam existimasse objectivam realitatem esse tantum nomen inane.*

Sed quia Vir Clarissimus se supra Sensus erigere non vult, & omnes Ideas ad solas Imagines in phantasia depictas restringit, vanam esse putat Objectorum in Intellectu repræsentationem. Quod ut validiùs persuadeat, iis Cartesium comparat, *qui quanquam ingenti hiatu nugas ridiculas parturire se viderint, magnum tamen aliquid se peperisse clamant.* Prætermitti hæc Comparatio à Viro Eximio poterat,

poterat, cùm omnibus Doctis satis notus sit Cartesius, qui tantum abest, ut ejus rationes nugas ridiculas existimet, ut eorum pluriùm illas commendent, atque tanquam veras ac certas Discipulis suis, aliisque *Veritatis* amatoribus proponant. Sed venia Viro Eruditissimo danda est, qui Philosophi doctrinæ subtilitatem aspernatus, non sat illi errores impingere autumat, ni & illum eorum conscium fuisse, ut crederemus, efficeret. *Vidit Cartesius*, inquit, *realitatem objectivam, nomen inane esse, tamen quòd magnum aliquod de eadem promiserat, etiam convictus, ne ipse Mens non foret, fateri noluit, cùm ad nauseam usque interrogatus tam frigido responso quicquam aut sibi, aut aliis satis factum esse putaret.*

V. *Quid est Realitas objectiva Ideæ.*

Sed ubi id vidit Cartesius? cur locum, cur Meditationem non assignat? Cur illius verba non prodit? Si putavit Realitatem objectivam aliud non esse, quàm *inane nomen*, ita iniquus fuit, ut non aliis modò, sed & sibi ipsi imponeret? Quis de Viro modesto, sapienti, Philosopho hoc credat? Contingere quidem potuit, ut non omnino plenè, & ad omnium captum, Objectivam Realitatem explicuerit, dum dixit, esse objectivè in Intellectu, est esse eo modo, quo objecta in eo esse solent. Verum poterat Vir Clarissimus apertiorem hujus rei explicationem ex *Geometricis* ejus Rationibus, ubi de illa ex proposito agit, mutuari, ubi ita loquitur: Per Realitatem objectivam Ideæ, intelligo entitatem Rei repræsentatæ per Ideam, quatenus est in Idea; eodem modo dici potest *Perfectio Objectiva*, vel Artificium objectivum, &c. Nam quæcumque percipimus tanquam in Idearum objectis, ea sunt in ipsis objectivè.

Adeò ut Realitas objectiva, aliud non est, quàm Perfectio, seu entitas rei cognitæ quatenus est in Idea, in qua tanquam in Imagine fulget.

VI. *Esse objectivum Ideæ est aliquid reale.*

An quis talem perfectionem, fictitiam esse dicet, & inane nomen dumtaxat? Quomodo igitur fit, ut talis *Perfectio* Causam realem exigat, & una ab altera realiter distinguatur? Nam quòd quædam Cogitationes sublimes & excelsæ dicantur, aliæ autem humiles & abjectæ; quòd quædam de Deo, aliæ de Creaturis, exempli causa, de *Sole*, de *Cœlo*, de *Terra* habeantur, quatenus scilicet tales aut tales res referunt, id non à reali Mentis actu sortiuntur, quoniam Ideæ quatenus *Modi* sunt cogitandi, nullam habent inæqualitatem, & omnes à Mente simili ritu procedere videntur: Ergo necessum est, ut ab altera alia reali causa proficiscantur. Si enim illud nihil esset, haud dubiè tantam differentiam inter eas provenire non posset, nec nobilior perfectiorve foret de *Sole*, aut alio Sidere cogitatio, quam de vilissimo Terræ *pulviscolo*. Cùm autem non ens, neque discrimen, neque convenientiam, neque quicquam aliud efficere possit; oportet ut Cogitationes à Causa aliqua reali proveniant. Ex hac esse *Cartesii* Mentem ex illius verbis, Meditatione Tertia, luce clarius colligi potest: Nempe quatenus Ideæ istæ cogitandi quidam *Modi* tantùm sunt, non agnosco ullam inter ipsas inæqualitatem, & omnes à me eodem modo procedere videntur: sed quatenus *una* unam Rem, *alia* aliam repræsentat, patet easdem esse ab invicem valde diversas. Nam proculdubio illæ, quæ *Substantias* mihi exhibent, majus aliquid sunt, atque ut ita loquar, plus realitatis objectivæ in se continent,

nent,

nem, quàm illæ, quæ tantùm Modos, sive Accidentia repræsentant: Ex varias illa, per quam summum aliquem Deum Æternum, Infinitum, Omnisciam, Omnipotentem, rerumque omnium, quæ præter ipsum sunt, Creatorem intelligo, plus profectò realitatis objectivæ in se habet, quam illæ, per quas finitæ Substantiæ exhibentur. Unde à nobis passim sciscitari solent Homines, quomodò in talem Cogitationem inciderimus? Quo modo talem conceptum formare potuerimus? Ubi non de causa Ideæ, prout Mentis *actus* est, quæritur, sed prout habet tale *esse vicarium*: quæritur enim unde sit expressa, quod exemplar talis Imaginis,

VII. *Realitas Ideæ est quid distinctum ab ipsa objecti realitate.*

SUPPOSITO, quod tales revera dentur in Mente cogitationes, ita præclarus Theologus prosequitur: *Sint verò in Mente tua Ideæ, suamque realitatem objectivam habeant: Quid autem rei est ista realitas, an res ipsa in te procreata? Si non sit, nullam istius rei realitatem habere potes. Si sit, Dei Idea Deus alter erit, ut enim Deus formalis est, qui extra te, ita objectivus, qui in te existit.* Quis unquam somniavit ipsam objecti Realitatem in Mente reperiri? An quia esse cognitum aliquid reale in Intellectu est, necessum est, ut objecti realitas, in ipso quoque Intellectu inveniatur? Ineptè quis dubio procul sic argumentaretur: Pictura est Rei Imago, pictura est aliquid reale; Ergo pictura est ipsa objecti realitas. Ita non magis à Ratione deviaret, qui ex eo quòd Idea sit realis quædam Rei in Mente pictura, statim inferret; igitur Idea est ipsa rei realitas seu perfectio. At si ista rei realitas in Idea non est, nulla istius rei realitas haberi potest. Quid tum? nullum unquam

sophorum assensit, Ideas Rerum, quas Intellectui exhibent, ipsammet rerum realitatem involvere: sed pro illis supponi, sive ipsarum vice & loco esse. Ergo, inquies, si *Res ipsa in te praeterea non est*, nullam istius Rei realitatem habere potes; Distinguendum est, non erit *formalis* realitas, quae tanquam Rei inhaerens apprehenditur, concedendum est; non erit ipsa Rei realitas in Mente *cognita*, negandum est. Nam etsi Idea formalem objecti realitatem non involvat, non tamen penitus nihil est, sed aliquid est, quatenus est Rei cogitatae Imago, seu vice illius: quemadmodum pictura loco illius rei est, quam repraesentat. Certè esse in Mente, esse objectivè, esse cognitum, amplius est, quàm omnino non esse. Aliàs quomodo Idea rei loco esse posset? Quomodo alicujus vicem, à quo infinitum distat, praestaret? Sed esse vicarium Idearum, est esse in mente, esse objectivè, esse cognitum: Ergo illud aliquid reale est, quamvis non sit ipsa Rei realitas.

VIII. *Habemus rei veram ideam, etsi res ipsa non sit in mente nostra.*

Si *non sit*, instat Vir Eximius, *nullam istius Rei realitatem habere potes*. Illud ipsi lubentes largimur, modò istius realitatis *formam* in Intellectu nos habere concedat, fateaturque Mentem, dum unam Ideam potius, quàm aliam in se producit, ab aliqua causa determinari. Nam sicuti *Pictor* Angliae Regem coloribus illustrare non potest, nisi eum intuitus sit, aut ejus saltem *Imaginem* aspexerit; quia suum Exemplar quaelibet pictura postulat: Ita Mens humana Dei Ideam effingere non potest, nisi priùs Deum contemplatus sit, aut certè ad ejus Imaginem, quam in se ipsa invenit, attenderit. Unde totum argumentum corruit, quo praeclarus Doctor, probare

hare, explicabatur, data objecti Realitate in intellectu depicta, Numquam Divinam multiplicem debere, ac tot fieri in Mundo numina, quot sunt Homines, qui Realitatem Dei objectivam in se habent. Quia cùm Idea sit tantùm Rei pictura in Mente, à formali objecti realitate differt, nec unquam ejus perfectionem assequitur.

IX. *Perfectio objectiva debet habere causam, à qua proficiscatur.*

Sed quid demum erit esse objectivè in Intellectu, si nihil reale ipsi contingit, & quæ ipsi obversatur Imago, nullam ei perfectionem conciliet? Respondet Vir Clarissimus; *Si quid itaque fortè sit objectivè in intellectu, non est ipsa res, sed conceptio rei, quæ nihil magis reale est, quam intellectus actio; ut esse objectivè in intellectu, nihil aliud sit, quam esse intellectionis objectum, quod nullam aliam causam exigit, quàm ut intellectus suam cogitandi facultatem exerat; cùm enim de quavis re meditari velit, fit res ipsa absque quavis novæ realitatis productione, ejus Meditationis objectum.* Si per Rei conceptionem intelligat *Ideam*, seu Rei repræsentationem, manus dat, & in nostram sententiam etiam obluctans trahitur: quoniam illa repræsentatio, ut antea diximus, aliud non est, quam *Perfectio*, sive rei cogitatæ entitas, quatenus in Idea, velut in Imagine elucet. Sin verò per *Rei conceptionem*, Mentis operationem intelligat, qua res extra se positas contemplatur, nihil contra *Cartesium* movet, qui in omni conceptu duplicem realitatem, seu perfectionem agnoscit; Formalem seu propriam, quatenus est Mentis operatio; alteram Objectivam, seu vicariam, quatenus est Rei cogitatæ Imago, qua Rem apprehendimus, veluti res ipsa esset. Et de hac ultima *Perfectione* quæstio agitatur, an scilicet Cogitatio,

tatio, quæ vivu quædam est Rei picturæ, causam exigat, in qua Ideæ realitas objective contineatur, & illam asserit continuò debere formaliter vel eminenter in ejus causa.

X. *Oportet ut realitas objectiva Idearum nostrarum, causam habeat.*

QUAMVIS id inficias eat Vir Clarissimus, arbitreturque esse objectivè, nullam aliam Causam postulare, *quam ut Intellectus suam cogitandi Facultatem exerat*; dicimus tamen adeò necessariò admittendum esse realitatem Objectivam Idearum nostrarum, causam requirere, in qua eadem ipsa Realitas non tantùm objectivè, sed formaliter vel eminenter contineatur, ut ab hoc principio, omnium Rerum tam sensibilium, quàm insensibilium cognitio dependeat. Unde enim scimus, exempli causa, Cœlum existere? An quia illud videmus? At ista visio Mentem non attingit, nisi quatenus Idea est, Idea, inquam, Menti ipsi inhærens, non autem Imago in phantasia depicta: Nec ob hanc *Ideam* possumus judicare *Cœlum* existere, nisi quia omnis Idea Causam suæ realitatis objectivæ habere debet realiter existentem; quam Causam judicamus esse ipsum *Cœlum*, & sic de cæteris. Unde evidens est, plus requiri, ut aliquid fit Intellectionis objectum, quàm ut Intellectus suam cogitandi Facultatem exerat. Nam à quo alio, quàm ab ipsis Rebus oritur, quod quædam Ideæ mihi Rem undequaque *Perfectam*; aliæ finitam & *creatam* exhibeant? Aliæ Corpus, aliæ Mentem repræsentent? Quæ est inter istas Ideas discriminis causa? Nam licet differentia, quam inter Ideas nostras animadvertimus, in relatione duntaxat ad Res objectas consistat, talis tamen respectus adeò Ideis, in quantum *rerum* sunt Imagines, essentialis est, ut maximam inter Cogitationes

ones differentiam constituat. Et quamvis in Rebus extra Mentem nostram positis, nihil reale ponat, necessum est tamen, ut quid realitatis in ipsis Ideis ponat; imo talem realitatem, quæ non solùm inter se, verum etiam ab aliis Qualitatibus & actionibus distinguatur.

XI. *Esse Ideale seu objectivum involvit aliquam perfectionem.*

At *nondum Cartesii fastus*, subdit Eximius Theologus, *flecti potest, sed vult quicquid obnitimur, aliquid reale nosci.* Et quidni esse invicem opponi, & quendam diversitatem objectivum, seu ideale aliquid reale esse vellet *Cartesius*? Cùm videamus conceptus, sibi præ se ferre. At quis dicet, id nihil esse, per quod aliqua differunt? immo tanto discrimine à se mutuò avellantur, ut contrariorum nomina habeant? Nec quispiam debet hanc doctrinam tanquam peculiarem Cartesio adscribere, eam longè antè *Aristoteles* professus est in *lib. Categ. cap. de Qualitate*; ubi Scientiam inter Qualitates enumerans, ita " loquitur: Nihil aliud est Scientia in Ani-" ma, quàm intentio & imago Rei cognitæ, " repræsentans rem, quæ extra animam est. Scientia igitur secundum Aristotelem, ens reale est, & quandam perfectionem involvit.

XII. *Ideæ in Deo idem sunt cum ejus essentia.*

Verum, quia mihi cum præstantissimo Theologo res est, rationibus Theologicis obiter uti liceat, ad hanc veritatem, Veritatis Discipulo persuadendam. *Dei Filius* in Sacris Codicibus, Imago patris, & character illius personæ appellatur: sed quomodò id constabit, si *Ideæ* secundùm esse objectivum, nihil omnino sint, & esse signum, esse imaginem, nihil reale importat? Præterea docent passim Theologi Ideas non quicquam esse à Deo diversum

diversum, sed ipsummet *Deum* esse, quemadmodum explicat *August. lib. 82. Quæst.* "Sunt "Ideæ principales formæ quædam, vel ratio-"nes rerum stabiles atq; incommutabiles, quæ "ipsæ formatæ non sunt, ac per hoc æternæ, "atque eodem modo se habentes; quæ in "Divina Intelligentia continentur, &c. Unde sic infero: Quod in Intellectu Divino est ipse Deus, id in nostra Mente, non pro nihilo haberi potest, præsertim cùm Dei *Imago* & similitudo in eo etiam consistat, quòd Mens humana res objectas sibi exhibeat, quemadmodum Deus sibi prorsus omnes, & nunquam non præsentes sistit, quæ actu sunt, quæ elapsis temporibus extiterunt, aut aliquando futuræ sunt.

XIII. *Ideæ sunt aliquid reale in Mente, & quandam veritatem includunt.*

Sed vereor ne id frustra præclaro Theologo inculcemus: Nam cùm ipsemet *Cartesius* desumpto à *Sole* exemplo, explicuisset, dixissetque Solem *objectivè* esse in Intellectu, aliud non esse, quàm Solis ideam in intellectu existentem, non quidem formaliter, ut in Cœlo, sed objectivè, hoc est, eo modo, quo objecta in intellectu esse solent; illico exclamat: *utinam foret, ut tenebras, quas tibi ipse offundis discuteret.* Profectò nulla caligine involvi *Cartesium* opinaretur, nisi quia ipse præjudiciorum vi adhuc obruitur, & nondum *Infantiæ* cogitationes deposuit. Pluribus enim causa erroris fuit, quod illa, quæ spiritualia sunt, ipsi nihil esse arbitrentur, cùm tamen res sint. Nam uti dantur Substantiæ *incorporeæ* & spirituales, quæ verissimæ sunt Substantiæ: ita Accidentia dantur *spiritualia* quæ veram habent entitatem. Imo cum veritatem habeant Ideæ, & aliæ aliis veritate anteponantur, habent quoque realitatem, seu perfectionem aliæ aliis majorem. Sed ut omnis

omnis caligo circa hanc materiam penitus evanescat, annotandum est, cum *Claubergio*, has species seu intentiones, quas in Anima esse diximus, esse aliquid *reale* & *intentionale* simul: Nam respectu objecti, quod repræsentant, & cujus dicuntur species, habent *esse intentionale*, at respectu subjecti, in quo inhærent, habent *esse reale*, ut Scientia in Anima: quod quidem est hoc discrimine cognosci potest, quia *Lapis* in anima rem substantiæ est, tum accidens: nam secundum se formaliter est Accidens de genere qualitatis, & est Substantia per repræsentationem; movere autem anima dicitur & cognosci, non secundum esse formale, sed secundum esse suum repræsentatum: quando enim cognoscimus *Lapidem*, Substantiam cognoscimus, non ipsam secundùm se qualitatem illam, &c.

XIV. *Magna est differentia inter Ideam, & rem per illam repræsentatam.*

His igitur ex nebris, Rationis lumine discussis, quid sequatur, videamus? *An vero te solem ipsum*, subjungit Vir Clarissimus, *in te habere putas? Habeo*, inquis, *objectivum, non formalem. Atqui Sol objectivus Sol realis est, etsi sit; quamobrem minus in te, quàm in Culo lucrat? At*, inquis, *Solis formalis munus est lucere, non objectivi. Nego, omnis Sol lucet, etsi non lucrat objectivus, Sol non est. Si igitur ipsum Solem in intellectutu haberes (ut habere te ais) certè nisi crassissimis tenebris obducatur, lucerat; cùm itaque non lucrat, non habes.* Fatigor totics idem repetente, & qui vitari id potest, ubi penè eadem sub diversis nominibus continuò objiciuntur. Aliis igitur verbis quoq; utendum est, & ne carere responso videar, lector etiam astutus fallendus est. Quamvis Idea objecto similis sit, & in cognoscente ejus locum suppleat, non tamen omnis perfectio,

fectio, quæ in re repræsentata reperitur, ipsi Ideæ attribuitur. Quippe experimur *solidam* illum & efficacem existendi modum, qui in Rebus repræsentatis deprehenditur, ab Ideis abesse; ac proinde non necessum esse, quòd si Solis lucidi Ideam in nobis habeamus, non minus in Mente nostra quàm, in Cœlo Sol fulgeat. Fundamentum enim ab esse Idearum intentionali & umbratili distinguitur, atque perfectione, seu realitate discrepat. Hinc *Cartesius* Meditatione Tertia, actualem seu *formalem* entitatem, quæ Rebus tanquam fundamentis competit, ab *objectiva*, quæ in Ideis intelligitur, separat, & tanquam duo entia à se invicem dirimit. Causa Ideæ, inquit, nihil de sua realitate actuali, sive formali in Ideam transfert, &c. Quantumvis imperfectus sit iste existendi modus, quo res est objectivè in intellectu per Ideam, non tamen profectò planè *nihil* est: ac proinde à nihilo esse non potest. Hæc enim sufficere videntur, ut quis sibi persuadeat, dum Solis imaginem in Mente complectitur, haud opus esse, ut Solem ipsum in se habere putet, nec ad illam Imaginem pertinere, ut *lucem* emittat, nisi crassissima caligine obducatur.

XV. *Nihil docet Cartesius, quod non sit omnibus philosophis commune.*

Hujus Sectionis vigesimæ primæ reliquum Vir Clarissimus impendit, in fingendo *Cartesium* se supra cæteros Homines evehere, oracula fundere, responsa dare, quæ sua perspicuitate omnium assensum extorqueant; ac proinde mirum non esse, si alios Philosophos, quos à Cartesio è Terra satos vocari simulat, fugiant, iisque solùm detegantur, qui è Cœlo delapsi, mentium instar & disserunt & philosophantur. Unde his verbis Cartesium alloquitur. *Tu verò si sectam affectaveris,*

claveris, Cœlum redeas, ubi fortasse tuam denominationum extrinsecarum philosophiam acrius intelligunt; Nos autem Terræ filii, ea est indolis nostræ bebetudo, nam subtiliter philosophando nos non esse fatemur. Neque Sectam *Cartesius* affectavit, nec unquam laudem ex Opinionum suarum novitate venatus est; cùm palam profiteatur, se nullo uti *principio*, quod ab *Aristotele*, omnibusq; aliis omnium seculorum philosophis admissum non fuerit; adeò ut philosophiam suam non ut *novam*, sed omnium maximè antiquam & vulgarem sequacibus suis proponeret. Addo etiam, quemadmodum ipse Epistola ad P. *Dinet* scribit, quod fortè videbitur esse paradoxum, Nihil in ea philosophia esse, quatenus censetur *Peripatetica* & ab aliis diversa, quod non sit novum; nihilq; in mea, quod non sit vetus: Nam quantum ad *Principia*, ea tantùm admitto, quæ omnibus omnino philosophis hactenus communia fuere, fuisque idcirco omnium antiquissima, & quæ ex eis deduco, jam antè in ipsis contenta & implicita fuisse, tam clarè ostendo, ut etiam antiquissima, utpote humanis Mentibus à natura indita, esse appareat. Contra verò principia philosophiæ *vulgaris*, eo saltem tempore, quo ab *Aristotele*, aliisque inventa sunt, erant nova, nec jam meliora putari debent, quàm tunc fuere; Nihilque ex iis deducitur, quod non sit controversum, & ex more Scholarum à singulis Philosophis mutari possit, ac proinde quod non sit maximè novum, cùm quotidie adhuc renovetur.

Caput

Caput Decimum Nonum.

Realitas Objectiva Ideæ Dei etiamsi Formalem non æquet, tamen Dei Existentiam optimè concludit.

I. *Dato realitatem objectivam Ideæ esse formali similem, non sequitur Deorum pluralitas.*

EX dictis plus æquo manifestum est, Ideam à Re concepta, aut simili pendere, cùm re vera aliud non sit, quàm rei repræsentatio, sive *Imago*, ad cujus imitationem expressa est; quia tamen Enimius Theologus hujus conformationis adhuc dubius manet, eademque, Sectione vigesima secunda, Dilemmate nititur ad probandum, nihil ex objectiva Realitate inferri posse, nisi formalem includat, denuò statuit, hoc concesso, plures Deos in Mundo dari debere, & Naturam Divinam pro Intelligentium numero esse multiplicandam. *Tanta verò sit realitas tua objectiva, quantam esse velis; an tamen formalem ejusdem rei realitatem naturæ perfectione æquare censes? Si æqualis sit utriusque condicio, plura denuò fiunt Deorum Numina, cùm res diversæ sint, extra Intellectum una, intus altera, quæ infinitæ naturæ perfectione, cæteris omnibus antecellunt; at quicquid perfectionum in finitum est, Deus est.* Certè etsi hanc rationem Vir Clarissimus, magni ducat, rempque confecisse sibi videatur; si tamen attentiùs discutiatur, prorsùs evanida apparebit, & ad trahendam, quam meditatur, Conclusionem, inepta; cùm plusquam luce meridiana evidentius sit Ideam esse quid à re, quam exhibet, distinctum.

Sed

Sed demus exercitii causa, Realitatem objectivam & Formalem paris esse conditionis, an propterea plura fient Deorum *Numina*? Nihil minus. Quippe aut illæ in eadem essentia Divina convenient, aut non; si non conveniant, *plures* igitur Dii non sunt. Si verò Divinam essentiam pari modo participant, neque etiam tunc plures Dii sunt, sed unus Deus. Cùm in Ente summe perfecto essentia & existentia individualis sit, & unius existentia omnem realitatem, seu perfectionem exhauriat, atque complectatur. Præterea, Dei Idea, est Idea Entis perfectissimi, Omnipotentis, ab omni alio Independentis, &c. Realitas autem illa *objectiva*, quæ est intra Intellectum, duplicem dependentiam involvit, *unam* à Concipiente, sive Cogitante Intellectu, quatenus est ejus operatio; *Alteram* à Re concepta, seu cognita, quatenus ejus Imago est, & pro illa sumitur. Qui igitur talis Realitas pro Deo haberi potest? Quo modo cæteris rebus, infinitæ naturæ perfectione anteceller?

II. *Realitas objectiva duplicem includit dependentiam, quæ in Deo non reperitur.*

Si *vero realitas objectiva*, refert Clarissimus Doctor, *à summa perfectione quoquo modo deficiat, infinita non est: Si ergo finita, causam infinitam non exigit, etsi non exigat, à causa, quæ quoque ipsa finita sit, proficisci potuit.* Monui non semel in præcedentibus haud necessarium esse, ut perfectio secundùm esse vicarium, principalis sui perfectiones prorsus adæquet, seu eas in omnibus repræsentet. Nam ut bene animadvertit *Philosophus* in responsione ad quintum Opponentem, non est de ratione Imaginis, ut in omnibus eadem sit cum Re, cujus est Imago; sed tantum ut illud in aliquibus imitetur. Hinc *Aristoteles Topic. lib. 6. cap.*

III. *Imago est ignobilior ipsa re quam repræsentat.*

cap. 9. Imaginem definit, id esse, quod per imitationem efficitur, sive cujus natura ab Imitatione dependet. Imitatio enim si probè quid sit spectetur, per se aliud dici nequit, quàm conformatio rei imperfectioris ad perfectiorem, ac proinde implicat ut Imago suum exemplar perfectione excedat, aut illi par sit.

IV. *Signa non omnia referunt, quæ in signatis inveniuntur.*

QUAM PLURIMA *Signa* sunt, quæ evidenter ac distinctè signata sua manifestant, quamvis non omnia, quæ in eis reperiuntur, non exprimant? Tibi *vocabula* elige, quæ ad Res significandas maximè idoneas judices; an non poterit *Vox* rem totam perspicuè indicare, ni priùs ab omnibus Rei partibus & attributis desumpta fuerit? Plurimarum certè Rerum claram & distinctam Ideam habemus, etiamsi plurimas earum proprietates, attributa, perfectiones nos lateant. Non tamen sequitur, quòd si realitas *objectiva* integram Dei naturam non exhibeat, hoc est, non sit infinita, quòd Causam Infinitam non postulet; ac proinde à Causa Finita proficisci queat. Quia *finitum* esse, si probè consideretur, Infiniti absentiam & negationem denotat: unde fit, ut dum Mens nostra tanquam quid finitum se percipit, *Infiniti* notionem in se habere supponatur, non quod istius Ideæ causa sit exemplaris; sed quod sui conceptum quodammodo negativum habere non possit, ni antè saltem naturæ ordine, positivam omnino Infiniti Ideam in se habeat. Nam uti præclarè observat Boetius: "Omne quod imperfectum esse dicitur, id diminutione perfecti "imperfectum esse perhibetur. Quo fit, ut "si in quolibet genere Imperfectum quid "esse videatur, in eo perfectum quoque aliquid

"quid esse nequit est. Etenim sublata per-
"fectione, unde illud, quod Imperfectum
"perhibetur existiterit, nec fingi quidem po-
"test. Neque enim à Diminutis Inconsum-
"matisque, Natura Rerum capit exordium;
"sed ab integris absolutisque procedens, in
"hæc extrema, atque effœta delabitur.

V. *Idea Dei à re procedere debet, quæ verè est Infinita.*

Mens igitur nostra *Infinitæ* Substantiæ Ideam habere non potest, nisi hæc Idea à Substantia Infinita proficiscatur; quia aliud Exemplar, ex quo desumpta est, habere non potest: cùm summæ perfectiones, quæ per Dei Ideam exhibentur, nec formaliter, nec eminenter in ulla alia Re, quàm in *Deo*, actu inveniuntur. Unde mordicùs tenendum est, quemadmodum & Clarissimus Theologus ipse insuper insinuat, tantundem ad minimum debere esse realitatis formalis in Causâ, quantum est objectivæ in Effectu: & cùm Idea infinitæ perfectionis Menti nostræ occurrat, erit quoque *Formalis* Causa Infinita. Nam quæso undenam posset assumere realitatem suam nisi à Causa? Et quomodò ei illam Causa dare posset, nisi etiam haberet?

VI. *Modus, quo res est in Mente imperfectior est, eo quo est extra Mentem.*

Huic Ratiocinio lubens Vir Clarissimus acquiesceret, nec amplius tam manifestæ Veritati renitens, ultrò fateretur, *objectivam* realitatis perfectionem à principio, quod illam formaliter continet, debere procedere, ni scrupulum *Cartesius* injecisset, dum in Responsione ad primas Objectiones, ita loquitur: Quamquam modus essendi Objectivus, longè imperfectior sit, quàm ille, quo Res extra Intellectum existunt, non idcirco planè nihil est. Ad hæc subjungit præclarus Doctor: *Si verò longè imperfectior sit, tantundem realitatis formalis in sua Causa non exigit, quantum*

objectivæ in se habet: Cùm isto pacto longè imperfectiore realitate formali æquari aut superari possit, adeò ut tam ipsa, quamquam Infinitæ non sit, efficere valeat. Certè illum à sententia dimovere non debet, quod is existendi modus, quo Res in Mente repræsentantur, *imperfectus* est, quia id relatè tantummodo intelligendum est, eo nimirum sensu, quo ille essendi modus, quo Rex in *tabulâ* depictus est, illo imperfectior dicitur, quo idem Rex Londini, aut alio quovis loco degit. Quis nescit picturam suo Exemplari in perfectione cedere? Sufficit quod non nihil, sed *reale*, & perfectum, ut Causam postulet, & à nihilo esse non possit.

VII. *Res perfectior ab ignobiliori tanquam à causa procedere non potest.*

Licet itaque Cogitatio secundùm *esse vicarium* imperfectior sit, & formalem objecti dignitatem non æquet, Causam tamen exigit, in qua tantumdem sit ad minimum perfectionis originaliter, quantum est in Cogitatione repræsentativè: Et cùm *Idea*, quam de Deo habeo, summum aliquod Ens, Infinitum, Omniscium, summè Potens mihi exhibeat, non potest ab alia Causa, quàm Infinita proficisci. Nihil enim quod finitum est, illius conceptum, qui Infinitum repræsentat, Exemplar esse potest. Nam sicuti nulla Res, nec ulla rei *Perfectio* actu existens, potest habere nihil, sive rem non existentem pro Causa suæ existentiæ: Ita quod magis perfectum, sive quod plus *realitatis* complectitur, ab eo produci nequit, quod minus reale & perfectum est. Ac proinde necessum est, ut Idea, quæ Deum talem ac tantum repræsentat, ab eo promanet, & ab alia Causa *finita* effici non possit; cùm in notione Rei finitæ, Substantiæ Infinitæ notio non contineatur.

Quòd

Quòd autem nihil fit in Effectu, quod simile, vel eminentiori aliquo modo in Causa præexistiterit, prima notio est, qua nulla clarior habetur: Hæcque vulgaris, *à nihilo nihil fit*, ab ea non differt: quid si concedatur aliquid in *Effectu* esse, quod in *Causa* non fuerit, concedendum quoque erit, hoc aliquid à *nihilo* factum esse; nec patet cur nihil non possit esse Rei Causa, nisi ex eo, quod in tali Causa non esset idem, quod in effectu.

VIII. *Entitas objectiva, quantumvis tenuis, causam requirit realem.*

Hanc haud probè concludit Vir Clarissimus, quòd nisi realitas *objectiva* omnino Formali similis sit, & par sit in utraque Perfectio, de *Cartesii* Demonstratione conclamatum esse. *Quo demum fit, ut nisi modum essendi objectivum formali omnino æqualem esse dicat, se, suamque demonstrandi viam planè prodat; sin dicat, quid plane sequitur, jam ante diximus.* Idea enim, quantumvis tenuis ac exiguæ entitatis, habito ad fundamentalem Rerum existentiam respectu consideretur, Causa nihilominus exemplaris Rei *faciendæ* esse potest, aut certè conditio ad producendum necessaria; uti ab omnibus passim conceditur: Ergo saltem ejus perfectionis imbecillitas, non obstabit, quin Causam aliquam requirat: Cùm sanè majus sit Rei cujusquam *principium* esse, quàm à principio procedere; & ad aliquid efficiendum *activè* concurrere, quàm ab alterò causari, & *passivè* dependere. Ac proinde rectè dixit *Cartesius*: Quanquam igitur objectivus essendi modus longè imperfectior sit, non tamen idcirco nihil est: Quia intentionaliter est ipsum Objectum; Ens autem intentionale, realitatem in genere non excludit, quemadmodum Ens Rationis, quod est Reali oppositum; sed in specie, illam dumtaxat, quæ

propriè fundamentalis dicitur, & in ipsis Rebus repræsentatis reperitur.

IX. *Objectiva Realitas aliquid est in Mente existens.*

At quid ad hoc Doctor Eximius; *Quàm autem pudet post tantum Thrasonismum in tam abjectam pusillanimitatem incidisse! Cùm enim primo ingressu tanta de realitate tua objectiva jactaveras, ut nulla causa, nisi ipsa quæ Omnipotens fuerit, produci possit, nunc dimisso vultu, & stomacho, saltem ut nihil non sit deinum, imploras.* Quorsum dicere puderet Imaginem in speculo *nihil non esse*, quamvis Rei repræsentatæ perfectiones non æquet? Regis picturam *nihil non esse*, quamvis Rex nobiliori modo se habeat, quam ejus Effigies coloribus adumbrata? Signum *nihil non esse*, etsi ad Signati dignitatem, aut valorem non accedat? Satis enim est, ut Imago, Pictura, & Signum realia sint, & verè existant, quatenus *nihil non esse* dicantur, & inter Entia perfecta numerentur. Similiter quamobrem Philosophum puderet asserere Ideam *nihil non esse*, etiamsi non nisi quid umbratile sit, & illius tantùm similitudo existat, ad cujus notitiam nos deducit? Quantumcunque imbecillis res *Idea* fuerit, opus est, ut ab aliquo principio oriatur, nec possibile est, ut quod aliquid est, à nihilo pendeat. Una enim quæque Res, pro natura sua Causam exigit, & ex varia cujusque conditione, diversum quoque principium colligitur. Exempli gratia, si Theologis credimus, alia ratione *Virtus* à causa proficiscitur, quàm *Peccatum*: Nec eodem modo, si Medicos audias, Morbus initium habet, quàm Sanitas. Ita si attendatur, quæ causa sit Ideæ productiva, seu unde manet illud *esse vicarium*, & quid illud constituat, non alia occurret, quàm quæ Rei repræsentatæ assignatur;

assignatur; quoniam tota illius vicariæ Realitatis natura, quæ in Idea deprehenditur, in tali repræsentatione posita est, quæ certe *non nihil est*, cùm Exemplar assignari possit, unde ejusmodi Repræsentatio pendeat, & à quo mutuatur, quod talis in Mente existat.

X. *Quicquid quantumvis debile causam requirit si Res est.*

PERGIT igitur Vir Eximius, & veluti *Cartesio* favens, Ideam nihil non esse supponit: *Euge ergo, bono sis animo, nihil non sit; quid inde, an quod quoque nihil mus non sitò semper sit montibus parturiendum? Cùm itaque res tam exiles sint Ideæ, ut nihil tantum non sint, non opus est, ut aut ad graviditatem Jovis, aut ad partum Lucinæ opem invoces, cùm tam exilia non duriori enixu, quàm sponte orta nascantur.* Quemadmodum necessarium non est, ut si *Mus* nascatur, è Montium penetralibus erumpat; sed tantùm si edatur, ab aliqua *Causa* profluat, quia nulla perfectio, qualis est existentia, à *nihilo*, sive à Re non existente provenire potest. Similiter etsi ad *Jovis* graviditatem recurrendum non sit, aut *Lucinæ* auxilium implorandum, quatenus Ideæ efformentur, & Rerum vice substituantur; non propterea ultrò pullulant, & citra *Causam*, suum esse vicarium obtinent. Nam sicuti Intellectus causa est Efficiens conceptus, uti operans suæ operationis est principium: Pari modo, Res concepta, vim Causæ Exemplaris habet, ad illum producendum, ad quem simili ritu refertur, quo Archetypon ad Ectypon, & vicarium ad suum principale. Quis autem dicet Entia illa, quæ hoc pacto producuntur, *spontè* oriri, hoc est, quantum Viri Clarissimi Mentem interpretari valeo, absque ulla Causa, nulloque præcedente principio? Nam id insinuare videntur illius verba Sectionis præcedentis:

dentis; ut esse objectivè in intellectu, nihil aliud sit, quàm esse intellectionis objectum, quod nullam aliam causam exigit, quàm ut Intellectus cogitandi facultatem exerat: Cùm enim de quavis re meditari velit, sit res ipsa absque quavis novæ realitatis productione, ejus Meditationis objectum.

XI. *A nobis non pendet ut res aliter cogitentur, quam sunt.*

VERUM quidem est, nos pro habitu agere, hoc est, nos Causas Idearum liberas esse, quatenus illæ *esse formale* habent in Intellectu, & illius sunt Operationes: non tamen quidvis de objectis cogitare valemus; sive Libertas Contrarietatis, & ad actus specificationem nobis deest: Nam cùm Ideæ causa secundùm *esse vicarium* spectatæ sit necessaria, ad certam objecti Naturam concipiendam nos determinat, & de illa aliter nobis cogitare non licet. Exempli causa, *Ternarium*, qui numerus est, ex Binario & Unitate conflatus, pro arbitratu considerare non possumus, ita compositum, aut non ita compositum: Sed necessariò sub priori ratione; sicut sive talis Numerus extra Mentem nostram existat, sive non existat, ejus Definitio certa sit, quæ ejus essentiam, seu formalem rationem exprimit, & cui neque addi, neque detrahi à nobis quicquam possit. Nam quòd *Ternarius* ex tribus unitatibus componatur, quòd ter sumptus novem conficiat, & quòd in se ductus viginti septem, &c. ita in Ternario contineri perspicuè & distinctè deprehendimus, ut à Mente nostra non pendeat; sed *Ternarium* illis Proprietatibus insigniri concipimus, sive tales esse velimus, sive nolimus. Simili modo in potestate nostra non est, *Ens* summè *Perfectum* ut existens, aut ut non existens cogitare: aut Omnipotens, aut imbecille, aut Sapiens, aut ignarum; sed necessario

ſarioſemper exiſtens, ſummè potens, ſummè ſapiens à nobis cogitatur. Adeò ut Ideæ, quæ rerum ſunt Repræſentationes, non ſontè naſcantur, ut Clariſſimo Viro placet, ſed à Rebus, quarum Ideæ ſunt, proficiſcuntur. Et illud eſt, quod docet Philoſophus initio Meditationis Quintæ: Invenio apud me innumeras Ideas quarumdam Rerum, quæ etiamſi extra me forſaſſe nullibi exiſtant, non tamen dici poſſunt nihil eſſe; & quamvis à *me* quodammodo ad arbitrium cogitentur, non tamen à me finguntur, ſed ſuas habent veras & immutabiles naturas.

XII. *Id manifeſtum fit exemplo Trianguli.*

EXEMPLI cauſa, cùm *Triangulum* imaginor, etſi fortaſſe talis Figura nullibi gentium extra Cogitationem meam exiſtat, nec unquam extiterit, eſt tamen profectò determinata quædam ejus natura, ſive eſſentia, ſive forma, immutabilis & æterna, quæ à me efficta non eſt, nec à Mente mea dependet, ut patet ex eo, quòd demonſtrari poſſint variæ proprietates de iſto *Triangulo*, nempe quòd ejus tres Anguli ſint æquales duobus rectis: quòd maximo ejus Angulo maximum latus ſubtendatur; & ſimiles, quas velim nolim clarè nunc agnoſco, etiamſi de iis nullo modo antea cogitârim, cùm *Triangulum* imaginatus ſum, nec proinde à me fuerint effictæ.

XIII. *Rectè Carteſius à ſuæ Mentis cognitione ad Dei notitiam pervenit.*

REPETIT poſtmodum præclarus Theologus, quo pacto Dei Idea *Carteſio* advenerit, ſumpto ſcilicet à Mentis ſuæ argumento. *Cùm enim Subſtantiam quandam iſſe te deprehendas, quadam Naturæ Perfectione præditam, quodammodo ſtabilem, aliquamdiu duraturam, quædam intelligentem, atque efficere potentem; harum omnium perfectionum meditationi ſi diu incubueris, ſex dierum ſpatio, aut ſaltem quanto ovis gallinæ incubant,*

incubant, *substantiæ infinitæ, æternæ, independentis, omniscia, omnipotentis Ideam facilè concipias.* Enimvero quidni Mentem suam intimiùs considerando, in Substantiæ cujusdam infinitæ, Æternæ, Independentis, &c. noticiam deveniret? Quomodo enim se existentem spectare valet, ni & illico in suæ originis *Principium* allargat? Nam à quo Mens ipsa foret, ni *Deus* illam procreasset? An fortè ejus est virtutis, ut à se oriri possit? Sive an ea est Mentis humanæ natura, ut ad existendum nulla Causa indigeat? Si ita esset, nec dubitaret, nec optaret, nec quicquam omnino illi deesse animadverteret. Omnes siquidem *Perfectiones*, quas clara cognitione assequeretur, sibi concederet, atque ita ipsamet *Deus* esset. Quippe cùm *Res Cogitans* in Bonum evidenter sibi cognitum immota voluntate tendat, non potest non illas perfectiones, quibus destituitur, sibi statim largiri, si penes illam fuisset, hoc est, si illas obtinere potis est. Verùm, cùm Mens experiatur, se quibusdam Perfectionibus acquirendis imparem esse, imo imbecillitatis ingenitæ conscia sit, summum Opificem agnoscit, cujus *Ideam* in se reperit, tanquam Imaginem in tabula inscriptam. Lumine enim naturali notissimum est, Rem illam, quæ aliquid perfectius se novit, à se non esse, sed ab alio.

XIV. *Objicitur per Cognitionis augmentum posse ad Dei cogitationem perveniri*

Alteram Difficultatem Eximius Theologus ingerit circa Dei *Ideam*, quam ex nostris Perfectionibus efformari posse autumat, juxta id, quod sibi solvendum proponit *Philosophus* Meditatione Tertia. Experior, inquit, jam cognitionem meam paulatim augeri, nec video quid obstet, quominus ita magis & magis augeatur in infinitum; nec etiam

etiam cur sit aucta cognitione, non possim ejus opus, reliquas Dei perfectiones omnes adipisci; nec denique cur potentia ad ipsius perfectiones, si jam in me est, non sufficiat ad illarum Ideam producendam. Ita *Cartesius*. Clarissimus Vir autem in eundem sensum, quamvis verbis dissimilibus sic objicit: *Cùm enim tuæ Naturæ perfectioni, quæsq; potes, alias, aliasque perfectionis gradus accumulaveris, vel quam cunque, Ideam, infinitam appellas, solum modo quod nullum meditandi finem invenias? atque ipsius unica infinitatis Idea est, quod quantumcunque adnexeris, semper tamen desicias, atque aliquid ultra quàm quòd tu cogitare potes, addi possa fateatis.* Respondet Cartesius nihil horum esse posse: Nam *primò* ut verum sit Cognitionem meam gradatim augeri, nihil tamen horum ad cogitationem de Deo pertinet, utpote in qua nulla includitur perfectio, quæ tantùm *possibilis* sit, sive quæ esse possit, & revera nondum sit præsens: Sed contrà omnes Dei perfectiones in ea Cogitatione mihi exhibentur, tanquam *actu* semper Deo præsentes, atque ita præsentes, ut earum nulla unquam possit, vel ad momentum temporis abesse. Atque hoc ipsum alia perfectione gradatim augeri, sive melius ac majus paulatim fieri, cerum est Imperfectionis & mutabilitatis indicium, quæ in Ente summè perfecto, & mutabilitatis experte cogitari non possunt.

XV. *Omnis Cogitatio, sola de Deo cognitione excepta, potest semper augeri.*

PRÆTEREA concesso, quòd *Cognitio* mea usque & usque augeatur, majorque & major indies evadat, nihilominus intelligo, unquam *actu*, seu revera fore ut infinita sit, quoniam nunquam tanta erit, ut non sit major incrementi capax. Eodem modo quo me

me docuerunt *Arithmetici*, numerum posse usque & usque augeri, eumque ideò potentia Infinitum esse, addentes, nullum tamen esse tantum, quin Unitatis adjectione, major fieri queat. E contrario Deum non sic *Potentia* tantùm Infinitum judico, ut numerum, & id genus alia, quæ Indefinita appellantur, quod finis in iis non deprehendantur; sed *actu*, revera, & propriè Infinitum dicitur, quia omnibus rebus finem habentibus, innumeris modis majorem cognosco, hoc est, sic Infinitum, ut nihil omnino ejus perfectioni addi possit; nam Infinitum tantumdem valet ac *perfectissimum*, hoc est, quo majus ac melius cogitari nihil potest.

Caput Vigesimum.

De clara & distincta Dei Attributorum notitia, & quòd hæc à Parentibus, aut ab Institutione non proveniat.

I. *Dei Attributa ab essentia Divina, nec à se invicem sunt separabilia.*

UT effossis Fundamentis, facilè quod superstruitur Ædificium corruit, & Radice avulsa, *arbor* in Terram sponte delabitur; Ita Eximius Doctor, è Mentibus nostris Dei Ideam abegisse ratus, nullo Molimine opus esse arbitratur, ut eas quoque illius Attributorum cognitione exuat, persuadeatque, quæ cum comitantur perfectiones, non tam ab humano Intellectu attingi, quàm ab eo pro arbitratu effingi. Etenim si omnia Dei *Attributa* aliud non sunt, quàm tot partiales, & inadæ-

inadæquati unius & ejusdem Entis Summi *conceptus*, qui ob humani Intellectus imbecillitatem, simul & semel apprehendi non possunt; rem peregisse sibi visus est Vir Clarissimus, ubi Deum per Ideam concipi non posse ostendit, ac proinde tales esse ejus perfectiones, ut Intellectum quemcumque Creatum fugiant. Omnia siquidem in Deo Attributa, non aliter à nobis considerari possunt, quàm & ab ejus *Essentia* inseparabilia, & à *se* invicem prorsus individua. Quippe nec Optimam Voluntatem à Potentia Efficacissima, nec Misericordiam à Justitia, nec Sapientiam ab Infinitate, nec denique ullam perfectionem ab alia ejusdem perfectione, ulla ratione divellere ac separare possumus.

II. *Duratio non ingreditur conceptum Æternitatis.*

Sed quia *Æternitas* præcipuum est Attributum, quod ante omnia, considerandum venit, nullam illius notionem nobis occurrere prætendit. *Cum deinde*, inquit eadem Sectione vigesima secunda, *æternam dicis durationem, eam, quæ nunquam exorsa, aut desitura est, animo comprehensam non habes, sed solùm agnoscis quotcunque annorum millia tecum cogitaveris, durationis neque initium, neque finem cogitare te posse, atque isthæc tua Æternitatis Idea.* Primùm, in propria persona loqui debuisset Clarissimus Doctor, hoc pacto: *Cùm deinde æternam dico durationem, eam, quæ*, &c. Quia nullibi quod sciam Philosophus Æternitatem *Durationem* nominavit, quæ nunquam exorsa, aut desitura est: Hæc enim duo Conceptibus discrepant; cùm unum Essentiæ, aliud Existentiæ dumtaxat attributum sit. Est enim *Duratio* Attributum, sub quo Rerum creatarum Exilientia, prout in sua actualitate perseverant, concipitur. Cum qua nihil prorsus commune

communne habet *Æternitas*, quæ Attributum est, sub quo Infinitam Dei Existentiam intelligimus. Omnis enim Duratio Successionem involvit, sive effluxum à præterito per præsens in futurum, ob Rei, cui competit, dependentiam, quæ talis est, ut omnes ejus Realitates, quas animo agnoscimus, non omnes simul ponantur, sed unæ post alias, prout summo omnium Moderatori visum est.

III. *In Duratione plus imperfectionis quàm perfectionis includitur.*

At quis non videt, in tali Durationis *Successione*, plus imperfectionis, quàm perfectionis includi? Quippe quod præteritum est, esse desiit; quod futurum est, adhuc non est; & solum volucre quoddam momentum superest, quo Res istis subjecta, actu fruitur. Quomodo autem *Successio*, & effluxus in Deo concipietur, cùm omnia, quæ illius sunt, *unum* sint, & sub perfectissima & Independenti Cogitatione comprehendantur. Quàm à Ratione alienum est, quòd Æternitas infinitorum momentorum series constituatur, quæ principio carentia, ita cursum suum peragant, ut nullum fluendi terminum adipiscantur? An non hoc pacto *Imperfectiones* Deo adscribuntur? Nam cui Successio competit, omnia in eo simul & semel esse non possunt, ac proinde limitatæ sint naturæ necessum est. Quod enim distendi, ac prolongari concipitur, haud necessariò existit, sive non absolutè est, sed tantum sub conditione, ut reproducatur, qua sublata, in nihilum relaberetur. Cùm igitur Dei Existentia in præteritum devenire nequeat, cùm sit perfectissima, neque talis est illius præsens status, qui re aliqua ad postmodum existendam indigeat, nulla ei *Duratio* convenit, sed Æternitas, qua Deum, seipsum, seu Essentiam suam totam independenter, & perfectissimè *simul* possidet.

At

IV. *Æternitas Deo competere demonstratur.*

A 7 *talem æternam Durationem*, inquit Clarissimus Vir, *quæ nunquam exorsa, aut desitura est, animo comprehensam non habet.* Quanquam ob Mentis nostræ imbecillitatem, ejusq; naturæ imperfectionem, *adequatam* & perfectam Æternitatis Ideam habere nequeamus, ambigi tamen non potest, quin aliqua ejus Notio occurrat, quamdiu de illa demonstrare possumus, quòd ad Substantiam aliquam pertineat, eamque solam, quæ perfectæ ac immutabilis est Naturæ. Quia certè posito quod jam *unus* existat Deus, hoc est, Ens summè perfectum, sive Infinitum, efficace prorsus, & immutabili consequentia, inferri videmus, eundem illum Deum, & ab æterno exstitisse, & in æternum permansurum. Nam quid hac *Demonstratione* clarius: Deus est Res summè perfecta, cùm nullum defectum, sive perfectionis limitationem involvit, ex quo sequitur illum necessariò existere? Si enim limitata Existentia illi assignetur, ejus Existentiæ limites necessariò si non à nobis, saltem ab ipso Deo intelligi debent; quia est summè Intelligens; quare Deus ultra illos limites, hoc est, *Ens* summè *perfectum* non Existentem intelliget, quod est absurdum; quandoquidem Deus ex sola ejus Naturæ consideratione cognoscatur: Ergo Deus non limitatam, sed Infinitam habet Existentiam, quàm Æternitatem vocamus: Deus igitur est Æternus. Quis enim animo non capit, in eo, qui maximè Ens est, sive Ens simpliciter, initium, aut finis reperiri non posse; ac proinde meram existendi Æternitas in eo intelligi necessum esse. Quoniam qui *Initium* apprehendit, primum, in eo non esse, dein esse intelligit, & qui Finem mente concipit, is intelligit non

esse

esse post esse, sic ut illud quodammodo comitetur: Verùm, in Ente simpliciter, nullum non esse agnosci potest, sive ante, sive post statuatur esse: Ergo, &c.

V. *Clarè cognoscitur summam Intelligentiam Deo convenire.*

Uti nullum Æternitatis conceptum haberi posse Doctissimus Theologus inficiatur; ita neque summam Intelligentiam, & Omnipotentiam, de Deo nullatenus demonstrari posse declarat. *Quod idem de Omnipotentia, Omniscientia, aliisque quibuscunque perfectionibus, quas tuæ Numinis Ideæ tribuis dicendum est.* Profectò Deum summè Intelligentem esse, adeo lumine Naturali evidens est, ut de illo Cogitationem habere non possumus, quin & illud Attributum occurrat. Nam cùm *Intelligentia* perfectionem includat, & Deus Ens perfectissimum sit, nullaque perfectione carere possit, *Scientia* summo gradu erit Deo assignanda; talis scilicet, quæ nullam Ignorantiam, sive Scientiæ privationem supponat; quia tunc in ipso Attributo, sive in Deo imperfectio reperiretur. Hinc sequitur Dei Intellectionem, ab ejus Essentia haud distingui, cùm perfectissima sit cogitatio, ac proinde eam ipsi esse naturalem, ut nullis rebus Creatis communicari possit, cùm tantæ perfectionis capaces non sint: Sed id omne Deum esse, qui Deum comprehendit, seu adæquatè intelligit. Quòd si quædam *alia* à Deo noscantur, non tamen ab illlo necessariò noscuntur: sed à libera ejus *Voluntate* pendet, quod illa attingat, quandoquidem fieri potuerit, ut illa non nosceret, qualiter ab illo nunc intelliguntur.

SIMILI

Eodem prorsus modo de Dei Omnipotentia differendum est, cùm fieri nequaquam possit, ut Deum omni perfectione instructum consideremus, quin & summè *potentem* quoque agnoscamus. Est enim in nobis Idea tantæ potentiæ, ut certi simus res omnes vi ejus *placiti* exhibere; sive quia summo numini visum est, eas non tantùm veras constituere, aut earum Ideas concipere: sed ut omnem suam *realitatem* ab eo mutuarentur, & velut umbras ac repræsentationes sui placiti se exhiberent. Quippe Rationes omnes, ut bene animadvertit *Cartesius*, primo *Volum. Epist. Epistola Octava*, quæ Dei Existentiam probant, illamque primum esse, & Immutabilem Causam omnium effectuum, qui à libero Hominum arbitrio non pendent, mihi videntur probare illum etiam esse Causam *actionum* omnium, quæ à libero arbitrio pendent. Non enim potest demonstrari quòd existat, nisi consideretur ut Ens summè perfectum; non esset autem summè perfectum, si quid in Mundo fieri posset, quod ab illo omnino non procederet. Verum quidem est, sola Fide doceri nos, quid sit *Gratia* illa, per quam Deus ad Beatitudinem Supernaturalem nos evehit: sed ex sola naturali philosophia colligere licet, non posse animum humanum, vel minimam Cogitationem subire, quin velit Deus, & ab æterno voluerit, ut subiret.

VI.

Omnipotentia adeò Deo essentialis, ut nulla res concipi nequit, quæ ab eo non pendeat.

Omnipotentia enim adeò essentiale est Divinæ Cogitationi Attributum, ut à nemine in dubium vocari possit; nisi cui Animus pendet, an Deus omnes perfectiones includat, seu Enti, quod perfectissimum habetur, aliquid desit. Nam etsi Rerum Creaturarum essentias, seu potius *conceptus*, quos de illis

VII.

Implicat ut res summe perfecta non sit Omnipotens.

habet Deus, illius rationem non ingrediantur, ac proinde eorum negatio, non necessariò Divinæ essentiæ negationem inferat: Ex suppositione tamen, quòd summè perfectus sit, & Res hoc aut illo modo esse voluerit; sequitur, aut eas ita esse, aut si non sint, statuitur eas noluisse, qui eas voluisse dicitur, quod *hypothesi* adversatur; aut si voluit, non esse Ens summe perfectum asseritur: quoniam hoc pacto statuetur ei aliquid deesse, non quòd illi peregrina Entia deficerent, utpote quæ ad ejus Naturam non spectent: sed quòd ejus *Voluntati* ad ea ponenda vis, & efficacia deesset, cui tamen propositum esset, ut extra se constituerentur. Enimvero quomodo illud perfectissimum censeretur, à cujus libertate non penderet, ut *Res* existerent, & quæ etiam valde imperfecta sunt, extra se ponere non valeret?

VIII. *Nihil docet Cartesius, quod non sit veterum opinionibus conforme.*

Ad id, quod subjungit Vir Clarissimus: *Quanquam ne nimium tibi assentiris, te tam prolixa, & profunda Meditatione Dei Ideam, quam tuam esse jactitas, ex imis tui ipsius visceribus effodisse; Id quoque nego, tam enim diu ante te natum Viri docti expolivere, & ab iis nomina, quibus usi sunt, ipse accepisti, quid autem rei significent, an intelexeris, nimiam suspicionis causam dedisti, cùm ea nunquam explicare conatus sis, neque ut contra, quavis importunitate induci velis.* Observavi in præcedentibus, *Cartesium* Doctrinæ novitatem non affectare; sed veterum potiùs vestigiis hærentem, nihil moliri, quod ab illis antè receptum non fuerit; quemadmodum ipsemet manifestat in Responsione ad septimas Objectiones: Neque ullam unquam, inquit, ex novitate mearum Opinionum laudem quæsivi: Nam contrà

ipsas

ipſas omnium antiquiſſimas puto, quia veriſſimas. Et nulli rei magis ſoleo ſtudere, quàm ſimpliciſſimis quibuſdam Veritatibus animadvertendis, quæ cum Mentibus noſtris ſint *innatæ*, ſtatim atque alius admonetur, non putat ſe illas unquam ignoraſſe.

IX. *Dei Idea non nobis à parentibus, aut magiſtris communicatur.*

SED quantumcunque id profiteatur Carteſius quantoque ingenii acumine præſtiterit, ut cuicunque animum ſerio applicuerit, ut loquitur præclarus Theologus, in illius naturam tantum, quantum fortaſſe quiſpiam alius penetrare poſſet; in animum tamen inducere non valet, quòd veram Dei *Ideam* unquam habuerit: ſed quicquid de illo noverit, vel per Traditionem, vel per rerum Obſervationem hauſiſſe. *ut ut verò fuerit*, ait, *quicquid de Deo intelligendum eſt, id ſatis, ſuperque tibi demonſtravi, qui aut ab aliis diſcendo, aut propriam naturam contemplando, abſque quovis Numinis afflatu Ideam fabricari potueris: & ſi poſſis, quid de tua tam jactata, & pluſquam Mathematica demonſtratione fiat, rurſum tu ipſe videas.* Certè talem Ideam à *Parentibus* depromere non potuimus; nam cùm illorum Natura à noſtra non diſcrepet, non alia via, quàm nos comparare eam potuerunt: Et licet Doctrina, quâ à *Magiſtris* imbuti ſumus, cauſa eſſe poſſit, ut res, quæ ad nos ſpectant, aut nobis extraneæ ſunt, accuratiùs exploremus, atque ita ad Dei Ideam, quam Mentibus noſtris ingenitam, anteà diximus, attendamus; ipſa tamen Inſtitutio talem Entis Infiniti notitiam ſuppeditare nobis non potuit. Quia quamvis ante omnem *Inſtitutionem*, in nobis Facultas eſſet, Rei Infinitæ conceptum excitandi, ea tamen eſt Naturæ noſtræ imbecillitas, ut Infinitum concipiendi omni-

no impares essemus; quemadmodum nunc potentia intelligendi aliquam naturam destituti sumus, quæ cum Rebus jam productis nullam affinitatem habet, quantumvis *possibilis* sit, & à Deo creari queat. Longè enim minor Cognatio intercedit inter naturam Dei Infinitam, & Creaturam finitam, quàm inter Ens jam productum, & à nobis cognitum, & naturam *possibilem*, sed à Rebus omnibus creatis distinctam; cùm nihil omnino sit, quod de Deo & Creaturis univocè prædicetur.

X. *Non ex Rerum observatione vel traditione agnosci potest qualis Deus sit.*

PRÆTEREA, unde illi, qui nos erudierunt, Dei conceptum sibi compararunt; cùm neque in *ipsis*, neque in toto universo deprehendatur, quod illos ad Infiniti notitiam deducat? Nam licet ex ingenti illa, quam contemplamur, Mundi *Machina*, dari Deum comprobetur, sed quis, & qualis ille Deus sit, de quo omnes conveniunt, id ex nullius Creaturæ intuitu deprehendimus: Imo ex hac Mundi Fabrica, nunquam ad illius Authorem Deum deveniremus, si Entis Infiniti Idea *innata* nobis non esset, & ab illo non dimanaret. Hinc Cartesius *Regio*, in quodam programmate statuenti *Ideam Menti insitam esse, vel ex Divina Revelatione, vel Traditione, vel rerum Observatione*, ita respondet. Illius assertionis *errorem* facilius agnoscemus, si consideremus, aliquid dici posse ex alio esse, vel quia hoc aliud est causa ejus *proxima* & primaria, sine qua esse non potest; vel quia est *remota* & accidentaria duntaxat, quæ nempe primariæ occasionem dat, suum effectum uno tempore producendi, potius quàm altero. Sic *Artifices* omnes primariæ & proximæ operum suorum sunt Causæ; Qui vero jubent, vel mercedem promittunt, ut illa faciant, sunt Causæ Accidentariæ,

dentariæ, & *remotæ*, qui fortassis nisi jussi non facerent. Non autem dubium est, quin *Traditio*, vel rerum Observatio, sæpe remota Causa sit, non invicem, ut ad Ideam, quam de Deo habere possumus, attendamus, illamque Cogitationi nostræ præsentem exhibeamus. Quod autem sit Causa proxima istius Ideæ effectrix, à nemine dici potest, nisi ab eo, qui putat nihil à nobis de Deo unquam intelligi, nisi quale sit hoc nomen, DEUS, vel qualis sit Figura Corporea, quæ nobis ad repræsentandum Deum à *pictoribus* exhibetur.

XI. *Nihil Sensus nobis exhibere possunt, quod Deum referat.*

QUIPPE Observatio, si per *Visum* fiat, nihil propria vi sua, Menti præter picturas exhibet, & quidem picturas ex sola motuum quorundam Corpusculorum varietate constantes: Si per *Auditum*, nihil præter verba & voces: Si verò per alios *Sensus*, nihil in ea habetur, quod ad Deum referri possit. Et sanè quòd Visus nihil præter *picturas*, nec Auditus præter *voces* vel sonos, proprie ac per se exhibeat, uniculque est manifestum: Adeò ut illa omnia, quæ præter istas voces, vel picturas cogitamus, tanquam earum significata, nobis per Ideas repræsententur, non aliunde advenientes, quàm à nostra Cogitandi Facultate, ac proinde cum illa nobis innatas, hoc est, *potentia* nobis semper inexistentes: Esse enim in aliqua Facultate, non est, esse *actu*, sed potentia duntaxat, quia ipsum Facultatis nomen, nihil aliud quàm potentiam designat. Quod verò de Deo, nihil præter nomen, vel effigiem corpoream cognoscere possumus, nemo potest affirmare, nisi qui se apertè Atheum, atque etiam omni Intellectu destitutum, fateatur.

Caput Vigesimum Primum.

Cogitatio de Ente Infinito, à Mente nostra, quæ Finita est, effingi non potest.

I. *Investigatur quid sit realitas objectiva Ideæ.*

SECTIONE vigesima tertia, Vir Eximius ad Realitatis *objectivæ* Ideæ Examen revertitur, se nihil adhuc effecisse arbitratus, ni illam ad interimum prosequatur, & desumptis etiam ex *Cartesio* viribus, è medio tollat. Primùm itaque philosophum interrogationibus adoritur, poscitque, ut quid Objectivæ Realitatis nomine, intelligat, manifestum faciat. *An Substantia?* inquit. *Atqui ea prius inficiatum esse audivimus. An substantiæ modus? id quoque nego. At si neutrum sit, tenuissimum, & admodum exiguum quiddam esse necesse est. Quid ergo? an Mentis actio? neque ista quidem. Jamdudum ad nihilum pene devenimus. Si autem neque substantia, neque illius aut modus, aut actio sit; miror grande istuc quid tandem esse possit. Ne itaque rumpamur, Oraculum edas. Auscultate ergo; responsa dat Apollinis Sacerdos. Est mentis operationis modus.*

II. *Realitas objectiva non est modus operationis mentis.*

SATIS attentè, quantum saltem Ingenii mei imbecillitas patitur, *Cartesii* opera legi relegique; verùm, hæc ultima verba, quæ Cartesii esse affirmat, nullibi me vidisse recordor. Imo Philosophus pluribus in locis contrarium tradit, dum ait *Objectivam* Ideæ Realitatem, esse entitatem Rei repræsentatæ

per

per Ideam, quatenus est in Idea; Dum ait illam à Re concepta, tanquam ab Exemplari efficiente proficisci. Dum eam, *Perfectionem* Objectivam, vel Artificium objectivum appellat. Si igitur adeò agilis est Vir Clarissimus, ut per omnes, in quos correpit Philosophus, cuniculos sequatur, in quo antro hæc Realitas ivæ objectivæ Definitio, *Mentis operationis modus*, delituerit? Cum Cartesius ex professo, duplicem realitatem, seu perfectionem in omni Idea consideret: Unam *formalem*, seu propriam, quatenus est Mentis operatio. Alteram *objectivam*, seu esse vicarium, quatenus est Rei cogitatæ Imago, seu quatenus ejus loco est, & vicem ejus præstat. Et cùm inter Mentis operationes, nullum discrimen agnoscat, sed solum inter Repræsentationes, seu picturas, quæ Res nobis exhibent, quomodo fieri potest, ut Realitas Objectiva Mentis operationis modus sit? Quandoquidem Idea, qua *Sol*, exempli causa, Menti obversatur, diversa sit ab Idea, qua *Lapidem*, aut *Hominem* eidem objicio? Si Mentis operationis modus, ab alio mentis modo non distinguitur, non est igitur Realitas objectiva Mentis operationis modus: sed potius Mentis perfectio, & tanto nobilior, quanto res meliores illi fiftit.

III. *Objicitur quod Idea sit tantum Mentis operationis Modus.*

Ita igitur mecum dubius, cùm hærerem quid præclarum Theologum ad tale quid *Cartesio* imputandum adegerit, forte in Gassendi Instantias adversus Cartesii Metaphysicam incidi, in quibus me quicquam simile olim animadvertisse memoria suggerebat, nec fefellit, nam in Instantia prima post Dubitationem quintam tertiæ Meditationis, hæc verba offendi: *Jam verò Idea per se, estne substantia?*

Dicis manifestè esse modum, imo & modum dicis non substantiæ, sed operationis, quæ ipsa est modus. Igitur ipsa Realitas erit quidem modus, sed non poterit Realitas dici. Dignum profectò fuit, ut Discipulus Magistri sui placita sequatur, & vera autumet, quæ verè dicta esse ab eo arbitratur. Unde mihi Animus non est, inutili sermone, ad omnia respondere, quæ contra hunc modum, cumque, ut vocat, *tenuissimum* prosequitur: sit cuique uti cogitandi, ita & scribendi libertas. Non enim ut Virum Clarissimum quacumque in re carpam, hanc Apologiam aggredior; sed ut servatis ubique humanitatis legibus, Difficultates tollam, quæ *Cartesii* Doctrinam aliqua caligine aspergere videntur.

IV. *Mens finita non potest ex se habere, quòd rem Infinitam cogitet.*

Sed ad Rem à Viro Eximio, in hujus Sectionis titulo potissimum intentam revertamur. Ubi igitur diu pro arbitratu, Quæstionibus suis Respondentem philosophum constituit: *Bellè quidem!* inquit, *Annon mens ipsa plus perfectionis, quam suæ operationes habet; suæque operationes, quam earum modi? Quidnam ergo suis viribus producat? Etsi producere valeat, quid sodes opus est, cœlo Deum evocare? An nondum vides quantum tibi subtilitate tua illuseris?* Nequaquam. Nam etsi Mens humana Operationibus suis supergrediatur, & *Modos*, à quibus afficitur, dignitate excedat, suis tamen viribus Ideam, quæ Deum, hoc est, Substantiam Infinitam repræsentet producere non valet. Nam quamvis penes illam sit, ut de *Substantia* cogitet, cùm ipsa vera substantia sit, & verè existens: quòd autem de Substantia Infinita, hoc est, summè perfecta cogitet, non id à se obtinet, nec obtinere potest, cùm ipsa sit *Finita*. Nec in illa, utpote

pote imperfecta, Rei perfectissimæ repræsentatio, sive imitatio, sive imago quæcunq; reperiri posset, nisi ab Ente summè perfecto, velut à Causa efficiente *exemplari* revera emanaret, ac proficisceretur.

V. *Sumpto à pictore exemplo ostenditur mentem finitum non posse formare ideam rei infinitæ.*

Rex fortè dilucidius exemplo declarabitur: pone *pictorem* dari, turpi ac inamœna facie, qui singularem *Veneris* vultum, in tabula expresserit: quod pingat, habet ex eo quòd pictor est: quod humanam faciem perficiat, à suo vultu, per speculum conspecto mutuari potest: quod verò speciosissimam artificiò exornet, cùm à sua id depromere non potuerit, quam inhonestum esse supponimus, necessum est, ut aliunde proveniat, nempe vel ab *Ingenii* præstantia, mentisque suæ perfectione; vel ex eo quòd *Puellam* miræ speciei alicubi existentem intuitus sit; vel demum ex eo quòd separatas in diversis faciebus *perfectiones* consideraverit, & in una conjunxerit. Cùm verò Mens, quæ de Deo cogitat, nihil in se reperiat, quod perfectionem per suam Cogitationem exhibitam adæquet, multo minus excedat; neque ullas summas perfectiones, quas in Deo junctas animadvertit, nullis in Rebus sparsis reperiat; superest ut *Attributa* summè perfecta in aliquo revera existente, quem Animo apprehendit, inveniat. Imo Intellectualis visio talis Rei existentis, aliud non est, quàm Dei Idea, hoc est, summè perfecti in ipsa repræsentatio, ac proinde humana Mens, Ideam de Deo nulla ratione producere potest, hoc est, non potest esse Exemplar istius Ideæ, quatenus illi Rem Infinitam repræsentat; quia hoc *esse objectivum* non se habet ut vicarium illius esse tanquam principalis.

FRUSTRA

VI. *Ex eo quod habeamus rei finitæ ideam, non sequitur Infinitum nobis innotescere.*

FRUSTRA præclarus Vir cum quibusdam opponet Rem Cogitantem finitam, Substantiæ Infinitæ conceptum habere posse, etsi ipse à Substantia Infinita non proficiscatur; Quippe ex eo ipso, quòd se tanquam *Finitum* quandam Substantiam agnoscit, per hoc necesse est, ut Substantiæ Infinitæ notionem habeat, utpote quam se non esse deprehendit: aliquid enim *finitum* esse agnoscere, idem esse videtur ac cognoscere, aliquid non esse Infinitum. Sicut è diverso concipere aliquid esse Infinitum, est concipere non esse finitum. Verum quidem est, si illud, *Finitum esse*, accuratè perpendatur, Infiniti absentiam & negationem denotare, ac propterea ex eo quòd humana Mens, sub hoc titulo, quatenus Finita, se apprehendit, jam præsupponatur in se Infiniti quoque *notionem* reperire, non quòd Mens ipsa, Idea exemplaris causa sit, seu quòd sui Ideam quodammodo negativam (in quantum scilicet plurimas perfectiones sibi deesse animadvertit) habere non possit, nisi positivam Infiniti Ideam, qua perfectissimum quæque sibi repræsentat, in se prius habeat. Malè tamen quis inde inferret Infiniti conceptum, à *Finiti* conceptu pendere; quemadmodum neque positiva Entis intellectio, à negativa non entis intellectione pendet; sed potius è diverso, negativa hujus conceptio, à positiva illius conceptione, tanquam ex remotione Causæ Exemplaris proficiscitur.

VII. *Id ex Cartesio probatur.*

ET hanc fuisse *Philosophi* Mentem, ex illius verbis Meditatione tertia colligi potest. Manifestè intelligo plus realitatis esse in Substantia Infinita, quàm in finita, ac proinde priorem quodammodo in me esse perceptionem Infiniti, quàm finiti, hoc est, Dei quàm

mei

mei ipſius: qua enim ratione intelligerem me dubitare, me cupere, hoc eſt, aliquid mihi deeſſe, & me non eſſe omnino perfectum, ſi nulla Idea Entis perfectioris in me eſſet, ex cujus comparatione defectus meos agnoſcerem? Nam licet Entis Infiniti *Idea*, hoc eſt, ejus Rei, quæ omnes prorſus perfectiones complectitur, Entis finiti, hoc eſt, ejus Rei, quæ aliquibus duntaxat perfectionibus inſtructa eſt, Ideam contineat, non autem vice verſa, in Rei finitæ idea, Rei Infinitæ idea continetur.

VIII. *unde ſit, ut Dei Idea noſtræ mentis ideam præcedat cum ex hujus exiſtentia, illius exiſtentia probetur.*

URGEBIT fortaſſis Vir Eximius: Si Dei *cognitio*, mei cognitionem antecedat, cur antea, ex Mentis meæ contemplatione, Dei exiſtentiam deduxi, cùm *præmiſſæ* priores notioresque eſſe debeant, quàm quæ ex illis colligitur Concluſio.

RESPONDEO, Mentem noſtram *Temporis* ordine, priùs ſe poſitivo quodam modo apprehendere, in quantum ex poſitivis *Intellectionis, affirmationis*, &c. actibus, qui ad Cogitationem referuntur, ſuæ Exiſtentiæ certitudinem adipiſcitur. Mox verò ubi ingenitam hiſce actibus imperfectionem deprehendit, *negativa* quadam ratione ſe cognoſcit, & demum notitiam præſtantiæ, & *Naturæ* ordine, poſitiva Dei conceptio antecedit, utpote Entis primi ac perfectiſſimi. Nihil certè inter Theologos frequentius, quàm *Sacras Scripturas*, priùs quàm Dei naturam explicandam ſuſcipere; quamvis Dei cognitio illarum intellectionem præcedat, & ipſis vim, authoritatemque conciliet. Quidni igitur pari ratione Menti noſtræ, cui inſcriptam Dei *Imaginem* experimur, ejus exiſtentiam demonſtrare liceat, etiamſi Deus non ſolum

Menti

Mentis anteponatur, sed etiam aliqua Dei perfectio, cuidam Mentis nostræ perceptioni præferatur.

IX. *Formale & esse vicarium Ideæ non ab eadem causa proveniunt.*

Cum Vir Clarissimus, *objectivam* Ideæ Realitatem, ab operandi Modo non distinguat, & utrumque hanc rationem in idem principium reléget, mirum non est, si quemadmodum proprium & formale à Mente produci, ita & ejus vicarium, seu objectivum ab eadem provenire asserat. *Dicas ergo*, inquit, *an re ipsa discrepant? Non, inquis: bene ergo se res habet. Quidni enim ipsa causa, quæ formalem producere valet, valeat & objectivam? Quo jam te vertes? si enim ipsius Ideæ realis ab sola Intellectrice mentis facultate proveniat, Mens cum fueris acutissima, distinguas, qui quoque modo objectiva, si (ut ipse definiveris) eadem fuerit, ab eadem provenire non possit.* Optandum foret, ut Vir Eximius, verba ipsa, quæ ex Cartesio immediate ante adduxit, paulo attentius perpendisset. Quippe nihil, meo judicio potest illi esse magis adversum. Nempe quatenus Ideæ istæ tantum cogitandi quidam *Modi* sunt, inter ipsas nullam inæqualitatem agnosco, sed quatenus una unam rem, alia aliam repræsentat, eandem ab invicem valde diversas esse patet, diversasque pro diversa *Objectorum* perfectione, perfectiones obtinere; atque adeò secundùm *esse formale* ab intellectu, at secundùm *esse objectivum*, à solo Deo fieri potuerunt. Quid clarius adferri potest, ad Mentis operationem, à Rei repræsentatione discernendam? Qui secundùm Philosophum esse formale Ideæ, cum ejus esse objectivo confundetur, cùm expresse doceat, diversos esse Realitatis sive entitatis gradus: Nam *Substantia*, prout in eodem

eodem loco obſervat, plus realitatis involvit, quàm *modus*, & Subſtantia Infinita, quàm finita.

X.
Ideæ ſubſtantiæ Infinitæ à Subſtantia Infinita procedere debet.

OBJECTIVA enim Idearum noſtrarum Realitas Cauſam requirit, in qua eadem ipſa realitas, non tantùm objectivè, ſed formaliter, vel eminenter contineatur. Ex quo concluſit Philoſophus Subſtantiam Cogitantem finitam, Ideam Subſtantiæ Infinitæ habere non poſſe, niſi hanc Idea à Subſtantia, quæ reverà Infinita eſt, proveniat: quia aliud *Exemplar*, ex quo deſumpta eſt, habere non poteſt, cùm ſummæ perfectiones, quæ Menti noſtræ per Ideam exhibentur, nec formaliter, nec eminenter in alia Re, quàm in Deo *ullo* inveniuntur. Nam ſi quis ſciſcitetur, undenam *Homo*, ſuæ Cogitationis & Corporis ideas habeat, nemo non videt illum eas ex ſe formaliter nimirum omne, quod Ideæ objectivè continent, habere. Quare ſi Homo aliquam Ideam haberet, quæ plus realitatis *objectivæ* complecteretur, quàm ipſe *formalis*: Neceſſariò naturali lumine impulſi, aliam Cauſam extra Hominem ipſum, veſtigaremus. Nec ullius unquam aliam præter hanc Cauſam aſſignavit, quam æquè clarè & diſtinctè concepit. Quia cùm Realitatis gradus, quos in Ideis deprehendimus, non in Ideis ſint, quatenus tanquam cogitandi Modi conſiderantur, ut dictum antea eſt; ſed quatenus *una* Subſtantiam, *alia* Modum tantùm Subſtantiæ repræſentat, ſeu uno verbo, quatenus ut rerum Imagines conſiderantur: hinc clarè ſequitur Idearum nullam aliam primam Cauſam dari poſſe, præter illam, quam omnes lumine naturali perſpicuè & diſtinctè intelligere, modò oſtendebamus, nempe in qua

eadem

eadem ipſa Realitas, quam habent objectivè, formaliter vel eminenter continetur.

XI. *Res à Carteſio conſiderantur prout ſunt in mente.*

Unde quæ Vir Eximius ſubjungit, nullo nituntur fundamento, nam aliud eſt rogare *cur Triangulus è tribus Angulis, & quadratum è quatuor conſtat? Cur bis ter ſex efficiant, cur ligo ligo ſit, & denique Davus Davus, non Oedipus:* quàm quærere, *quid efficiat hanc Ideam hoc objectivum potiùs, quàm quodvis aliud repræſentare?* Quia non hic agitur de Rebus extra *Intellectum* poſitis; ſed de ipſis prout in Mente per Ideam repræſentantur; quibus licet Cauſa opus non ſit, ut extra Cogitationem noſtram exiſtant; ipſis tamen cauſa opus eſt, ut concipiantur, & de hac ſola Quæſtio movetur. Nam quemadmodum *Regis* effigies Coloribus expolita, cauſam Exemplarem exigit: Pari modo Rei cujuſque Imago, ſeu exhibitio in Mente, Exemplar aliquod poſtulat verum, & reale. Aliàs ſi quicquam in Cogitationibus noſtris reperiatur, quod in illius cauſa *Exemplari* non fuerit, id igitur à *nihilo* proveniret, quod contingere impoſſibile eſt: cùm nulla Res, neque ulla perfectio actu exiſtens, poteſt habere *nihil*, ſive rem non exiſtentem pro ſuæ exiſtentiæ Cauſa, ſeu principio. Unde rectè concluditur, quòd ſi Realitas repræſentativa alicujus ex meis Cogitationibus tanta ſit, ut exploratum habeam, eam in Mente mea nec formaliter, ſeu æquè perfectè, nec eminenter, ſeu perfectiori modo eſſe, nec proinde me ejus ipſius Cogitationis cauſam Exemplarem eſſe poſſe; hinc neceſſariò ſequi me non ſolum in Mundo eſſe, ſed *Ens* aliud, quod Cogitationis iſtius *Exemplar* ſit, etiam exiſtere.

Mani-

XII. *Causa exemplaris nihil transmittit in Ideam*

MANIFESTUM igitur evadit, Ideam, quæcumque illa sit, ab aliqua Causa Reali proficisci, atque objectivam suam perfectionem ab illa depromere; ac idcirco haud satis ad illud attendisse Eximius Theologus videtur, dum ait: *Si enim pinus Mentis impotium sit, quatenus vult, actiones elicere, cur non etiam & suarum actionum modos? Cùm nihil aliud sit, quam de re quaque suo modo cogitare. Nisi velis, cùm de Machina quavis, si placet, ipsi cogitaveris, ipsam machinam sui Ideam, ut Deum sui in te transfudisse. Adeò ut si novum fortè Horologii artificium inveneris, id ab ipso Horologio acceptum esse velles: Si velles, quâ se in te efficere posset neque intelligere; neque dicere posses.* Necessarium non est, ut Cogitationis causa Exemplaris, aliquid in *eam* transfundat, quemadmodum *Sol*, exempli gratia, calorem suum Corporibus nostris impertit; quoniam ea est Cogitationis, quatenus Mentis operatio est, natura, ut ejusmodi perfectionem à Mente cognitâ habeat, qualem calor à *Sole* calefaciente obtinet, hoc est principalem, seu originalem, in quantum verò Rei cognitæ *Imago*, cogitatio est, nullam realitatem à Mente sortitur, sed eam habere debet ab aliqua Causa, in qua tantumdem sit ad minimum perfectionis realis, quantum ipsa continet objectivæ. Quare siquis in intellectu *Machinæ* alicujus, puta *Horologii* affabrè exstructi Ideam habeat, meritò quæri potest, quænam ejus Ideæ sit causa: non tali quæstioni satisfaciet, qui dicet Intellectum ipsum esse ejus Causam, nempe ut suæ operationis (quatenus illi Ideæ dat esse formale & proprium) de hac enim *re* non dubitatur; sed tantum de causa *Artificii Objectivi*, quod in ea est. Nam quòd hæc Idea Machinæ

Machinæ tale Artificium objectivum potiùs contineat, quàm aliud, hoc est, quòd hoc potiùs, quàm illud repræsentet, hoc profectò ab aliqua Causa Exemplari, vel Exemplaris vicem præstante habere debet; esseque respectu hujus Ideæ artificium objectivum, quod respectu Ideæ Dei est Realitas objectiva.

XIII. *Varia potest esse causa machinæ in intellectu exhibitæ.*

Ex quidem hujus Artificii Causa varia assignari potest: Vel enim est realis aliqua talis *Machinæ* priùs visa, ad cujus similitudinem Idea ista facta est; Vel magna *Mechanicæ* scientia, quæ est in illo Intellectu: Vel fortè magna *Ingenii* subtilitas, cujus ope, etiam sine prævia scientia potuit illam adinvenire. Notandum quoque est, quod omne Artificium, quod in talis Machinæ Idea est tantum objectivè, necessario debere esse in ejus causa, qualiscunque tandem illa sit, vel formaliter, vel eminenter; & idem etiam de Realitate objectiva, quæ est in Idea Dei esse putandum. In quonam verò hæc ita erit, nisi in *Deo* realiter existente? Sive in qua Causa, summa illa perfectio per Ideam Dei in Mente exhibita, nisi in Deo continebitur, cùm in nulla Re aliquid esse possit, summis perfectionibus eminentius, nec possint summæ perfectiones, nisi in *Ente* summè *perfecto* reperiri.

Caput

Caput Vigesimum Secundum.

Existentia Dei, ab Essentiæ Divinæ conceptu rectè infertur.

I. *Ex summæ Dei perfectionis consideratione infertur Deum existere.*

CUM Rerum veritates à nostris cogitationibus potissimum desumamus, nihilque aliud ad probandum certas proprietates cuidam Rei competere requiratur, quàm ut eas in illius conceptu clarè & distinctè contineri percipiamus, rectè intulit *Cartesius* Deum actu existere, sive in ejus Idea, utpote entis summè perfecti *necessariam* ac perfectam Existentiam involvi. Argumentum ab eodem in hac ferè forma proponitur: Quod clarè & distinctè intelligimus ad alicujus Rei veram & immutabilem naturam, seu essentiam pertinere; Id potest de ea Re & verè & certò affirmari: Sed postquam satis accuratè investigavimus quid sit Deus, clarè & distinctè intelligimus ad ejus veram & immutabilem Naturam pertinere ut existat: Ergo tunc & constanter verè possumus de Deo affirmare, quòd existat. *Major* adeò evidens est, ut vix aliter manifestentur, quæ per se nota sunt: Nam licet perceptio mea, causa non sit, cur aliquid tale sit, est tamen causa cur *tale* esse judicem, cùm revera aliter judicare non debeam, quàm intelligo. Verùm, causa cur hoc ita percipiam, est ipsa Rei natura, quæ Intellectum meum sic determinat, & impellit. Id quod assumitur, ex Dei Idea,

sive Definitione, quæ est hæc, *Ens summe perfectum*, probatur. Quippe Rem summè perfectam Mente concipere non valemus, quin eam existere omnino intelligamus, quandoquidem Existentia maxima est perfectio; imo nihil à nobis distinctè percipi potest, nisi id existentiam saltem possibilem habere intelligatur.

II. *In Dei conceptu necessaria existentia includitur.*

At, quid ad hoc Argumentum Vir Clarissimus? *Alterum*, inquit, *jam superest subtilius quid ejusdem Sophisma, quod quinto deinceps die excogitavit. Sic igitur quinto die meditatur: Per Ideam Dei clarè & distinctè intelligo Ens summè perfectum, &c.* Sed quibus fallax & Sophisticum hoc Argumentum apparet, iis solùm profectò, qui Existentiam in Deo, ab ejusdem Essentia secernunt, & quæstionem *quid est*, à quæstione, *an est*, separant. Sed eos animadvertere decet illam quidem distinctionem in omnibus Rebus creatis valere, quæ esse, & non esse queunt, semperque aliunde pendent; at talis Distinctio ad Deum, hoc est, ad Rem Increatam & Independentem applicari non potest, cùm citra *Existentiam*, absque aperta in conceptu contradictione cogitari non possit. Qui enim Deum Ens esse perfectissimum dicit, non modò ejus *Essentiam* animo concipit, sed simul in eodem conceptu inclusam *Existentiam* intelligit. Quippe si existentia destituatur, id, quod omnem perfectionem complectitur, aliqua perfectione carebit, quod contradictionem implicat.

III. *De ratione entis summè perfecti est ut existat.*

Quare igitur sicuti à nobis concipi non potest, *Mons sine valle*, aut *Numerus ternarius*, negata ejus imparitate: Ita Deus, hoc est, Ens cui omnes insunt perfectiones mente apprehendi non potest, exclusa existendi

æternitate

æternitate, hoc est, cui desit hæc perfectio. Quæ quidem tam aperta Intellectus apprehensio fortissimè nos impellit, ut Deum necessariò, & semper existere asseramus, neq; aliter judicare aut possumus, aut debemus, nisi rationem exuere, aut nobis ipsis adversari, judicio à perceptione dissidente, velimus. Hinc *Cartesius* Dissertatione de Methodo, pag. 23. Quamvis satis viderem si supponamus, exempli causa, dari aliquod *Triangulum*, ejus tres Angulos necessariò fore æquales duobus rectis; nihil tamen videbam, quod me certum redderet, aliquod *Triangulum* in Mundo esse. At contra cùm reverterer ad Ideam Entis perfecti, quæ in me erat, statim intellexi *existentiam* in ea contineri, eadem ratione, qua in Idea *Trianguli* æqualitas trium ejus Angulorum cum duobus rectis continetur; vel ut in Idea *Circuli*, æqualis à Centro distantia omnium ejus circumferentiæ partium; vel etiam adhuc evidentius; ac proinde ad minimum æque certum esse Deum, qui est illud Ens perfectum, existere, quàm ulla *Geometrica* demonstratio esse potest.

IV. *Potest ab attributorum in creatis similitudine, ad Dei ideam perveniri.*

Ea est hujus Argumenti vis, ut nullam ei rationem Vir Clarissimus opponat, sed veluti ei assensum præberet, optat duntaxat, ut *Philosophus*, à Rebus Creatis potiùs ad Ens summè perfectum viam fecisset, quò paratius ad illius existentiam perveniret. *Et quidem*, ait, *si res finitas gradum quendam, & aditum ad perfectiones infinitas posuerat, me aversum, aut reclamantem non habuisset, cùm ista via facilè ab imo ad summum perfectionis gradum pervenire possumus. Sume enim rem quamlibet, quæ facta sit, unde interrogo, an à se? Atqui ita fuisset, antequam esset. An ab alio? Isthuc*

Igitur aut factum, aut infectum; si primum idem rogo, si posterius, rem summè perfectam attigi. Quid hac differendi ratione Vir Eximius moliatur, non apprimè concipio. Nam quid illud adversùs *Cartesium*, qui eadem prorsus argumentandi ratione utitur Meditatione tertia; Idcirco sum Res Cogitans, Ideamque quandam Dei in me habens, qualiscunq; tandem mei causa assignetur, illam etiam esse Rem Cogitantem, & omnium perfectionum, quas Deo tribuo, Ideam habere fatendum est: potestque de illa rursus quæri an sit *à se*, vel *ab alia*; nam si *à se*, patet ex dictis, illam ipsam Deum esse, quia nempe cùm vim habeat per se existendi, habet proculdubio etiam vim possidendi *actu* omnes perfectiones, quarum Ideam in se habet, hoc est, omnes quas in Deo esse concipio. Si autem sit *ab alia*, rursus eodem modo, de hac altera quæretur, an sit à se, vel ab alia, donec tandem ad Causam ultimam deveniatur, quæ erit Deus. Satis enim apertum est, nullum hic dari posse progressum in infinitum, præsertim cùm non tantùm de *Causa*, quæ me olim produxit, hic agam, sed maximè etiam de *illa*, quæ me tempore præsenti conservat. Quid Viri Clarissimi Argumento magis affine adferri potest? Quæ, obsecro, inter utrumque disparitas? nisi fortè quòd *Cartesii* argumentum apertiùs, validiusque concludat, & ad existentiam Dei probandam magis conducat.

V. *ut licet à perfectionibus creatis ad Dei perfectiones ascendere.*

Si autem velit magnus Theologus à Rebus finitis ad infinitas perfectiones aditum parari, exempli causa, ex eo quod in nobis aliquid insit *Sapientiæ*, *Bonitatis*, *Potentiæ*, *Quantitatis*, &c. Ideam Infinitæ vel saltem indefinitæ sapientiæ, bonitatis, potentiæ, & aliarum per-

perfectionum, quæ Deo tribuuntur, formare possimus, hoc totum lubentes concedimus, & forte alia non est in Idea Dei, quàm quæ hoc pacto formatur. Sed tota vis Cartesiani argumenti est, quod contendat se non posse talis esse naturæ, ut illas *perfectiones*, quæ minutæ in illo sunt, in infinitum extendere queat per Cogitationem, nisi originem nostram haberemus ab *Ente*, in quo actu infinitæ reperiantur; ut neque ex inspectione exiguæ quantitatis, sive Corporis finiti, quantitatem indefinitam concipere possemus, nisi Mundi *Magnitudo* etiam esset, vel saltem esse posset indefinita.

VI. *Proponitur Argumentum ex D. Thoma pro Dei existentia.*

INTERIM miror, cur Vir Clarissimus, *Cartesio* tantum deroget, dum ait, illum ex sola summi Numinis perfectione, ejus Existentiam deduxisse; cùm eam ex eo quòd Dei Idea in nobis sit, & ex eo quod nos ipsi ejus Ideam habentes existamus, validissimis Rationibus demonstraverit. *Cùm verò Philosophus*, inquit, *viam contrariam ingressus fuerit, ut à sola summæ perfectionis ratione ad realem Dei Existentiam perveniret, neque initium, neque exitum invenit; sed antrorsum, retrorsum se versans, tandem ipse sophismatis subtilitate se ipse perdidit.* Hæc quidem libera Viri Doctissimi assertio, sed citra probationem. Sed quia, sumptum à Dei naturæ consideratione Argumentum pro ejus existentia, quibusdam fallax & sophisticum videtur, ad hanc suspicionem firmandam, D. *Thomæ Aquinatis* authoritate utitur, qui Sum. part. 1. Quæst. 2. Artic. 1. inquirit, an Deum esse sit per se notum, secundùm nos, hoc est, an unicuique sit obvium? Quod negat, & meritò. Sed argumentum contra se objicit, & ita proponitur: "Intellecto

quid significet hoc nomen Deus, statim habetur, quod Deus est, significatur enim hoc nomine id, quo majus significari non potest. Majus autem est, quod est in re, & in intellectu, quam quod est in intellectu tantùm: Unde cum intellecto hoc nomine, Deus sit statim in intellectu, sequitur etiam quod sit in re.

VII. *Suo argumento D. Thomas respondet.*

Ad quod respondens Angelicus Doctor, ita differit: Dato quod quilibet intelligat hoc nomine, Deus, quo majus cogitari non potest. Non tamen propter hoc sequitur, quod intelligat id, quod significatur per nomen Dei, esse in rerum natura, sed in apprehensione tantùm. Nec potest argui, quod sit in re, nisi daretur, quod sit in re aliquid, quod majus cogitari non potest: quod non est datum à ponentibus Deum esse: Qua responsione arbitratur Vir Clarissimus, *Cartesii* Argumentum penitus evanescere: quia etiamsi Res summè perfecta, suo nomine ipso, existentiam inferat, non tamen sequitur, quod talis existentia in rerum natura actu aliquid sit, sed tantummodo quod cum Idea Rei perfectissimæ, existentiæ Idea conjungatur. Ex quo haud bene concluditur Dei existentia actu quid esse, nisi Res illa perfectissima *actu* existere supponatur.

VIII. *Rectè concludit Cartesius Dei existentiam ex claro ejus conceptu.*

Sed respondet *Philosophus*, Argumentum in forma peccare, cùm concludi tantùm debuisset: Ergo intellecto, quid significet hoc nomen, Deus, intelligitur significari, Deum esse in re & intellectu: Atqui quod verbo significatur, non ideo apparet esse verum; *Cartesii* autem Argumentum tale fuit. Quod clarè & distinctè intelligimus pertinere ad ali-

alicujus Rei verum & immutabilem naturam, seu essentiam, sive formam, id possit de ea re cum veritate affirmari? Sed postquam satis accuratè investigavimus quid sit Deus, clarè & distinctè intelligimus ad ejus veram & immutabilem naturam pertinere, ut existat; ergo tunc cum veritate possumus de Deo affirmare, quòd existat. Ubi saltem Conclusio rectè procedit. Sed neque etiam *Major* potest negari, quia supponitur illud omne, quod clarè & distinctè intelligimus, verum esse. Sola *Minor* restat, in qua fateor esse Difficultatem non parvam. *Primò*, quia summus tam affuerit in reliquis omnibus Essentiam ab Existentiâ distinguere, ut non satis adverterimus, quo pacto ad Essentiam Dei potiùs, quàm aliarum rerum pertineat. Ac *deinde* quia non distinguentes ea, quæ ad veram & immutabilem alicujus Rei Essentiam pertinent, ab iis, quæ non nisi per figmentum intellectus ei attribuuntur, etiamsi satis adverteamus Existentiam ad Dei Essentiam pertinere, non tamen inde concludimus Deum existere, quia nescimus an ejus Essentia sit immutabilis & vera, an à nobis tantum efficta.

IX. *Existentia necessaria in solo Dei conceptu includitur.*

Sed ut prima hujus Difficultatis pars tollatur, est distinguendum inter Existentiam possibilem & necessariam; notandumque in eorum quidem omnium, quæ clarè & distinctè intelliguntur, conceptu sive Idea, existentiam *possibilem* contineri: sed nullibi *necessariam*, nisi in sola Dei Idea. Qui enim ad hanc diversitatem quæ est inter Dei Ideam, & reliquas omnes diligenter attendent, non dubito quin sint percepturi, etiamsi cæteras quidem res nunquam intelliga-

mus nisi tanquam *existentes*, non tamen illas existere inde sequi, sed tantummodo posse existere: quia non intelligimus necesse esse, ut actualis Existentia cum aliis ipsarum proprietatibus conjuncta sit. Ex hoc autem quod intelligamus existentiam actualem necessario & semper cum reliquis Dei Attributis esse conjunctam, sequi omnino Deum existere.

X. *Objicitur existentiam tantum Deo competere sub conditione.*

Et si hoc Attributum, *necessario existens*, in subjecti hujus, Dei, definitione contineatur, & impossibile sit, ut quod summè perfectum est, non necessariò existat: vult tamen Vir Eximius hanc perfectionem, non nisi sub conditione competere, suppositio nimirum, quòd actu existens sit. *Quanquam autem præcipuus Sophismatis nodus est, quòd cùm dicitur, res summè perfecta tectâ & occulta quadam enuntiatione, subjecto copuletur attributum, adeò ut rei summa perfectio non minus attribuatur, quam si aperte dicerem, esse rem summè perfectam, quatenus suppressa solum copulationis voce, rei isti summa perfectio tribuatur secundùm id, quod ut cavoamus, monent Dialectici, complexum subjectum cujusvis propositionis semper esse assertionem hypotheticam. ut res necessaria necessario existat, hoc est, si sit res necessaria; Chimæra existens existit, hoc est, si sit Chimæra existens; ita res summè perfecta, si quippiam tale sit, existit.*

XI. *Cùm in Dei Idea existentia includatur, bene infertur, Deum existere.*

Hæc propositio; Quod in alicujus rei Idea seu conceptu includitur, id ipsum de ea verum est, certissima est, quacumque etiam conditione submota. Id inductione probari potest. Nam si habere tres Angulos æquales duobus rectis, ad *Trianguli* naturam pertinet, affirmari potest *Triangulum* habere

tres

tes Angulos duobus rectis æquales. Si in Idea *Quinarii* duo & tria contineantur; ergo verum erit quinque esse duo & tria. Si in *Totius* conceptu includatur, quod partes habeat: Igitur verum est, *Totum* partes includere, &c. Ergo similiter si in Idea Entis simpliciter, seu Entis Realissimi, essendi *necessitas* contineatur, verum est Deum necessariò existere. Nam si aliquando potuerit non existere, hoc est, si aliquando inter non entia recenseri potuerit, profectò non esset Ens maximè, sive simpliciter, quia perfectius cogitari potest, id nimirum, quod necessariò semper fuit, & necessariò semper erit. Unde sicuti in *Exemplis* assignatis, actualis Existentia non præsupponitur, sed *possibilis* duntaxat infertur, ita in hac Argumentatione: Quod in alicujus rei Idea continetur, id ipsum affirmari potest: atqui Existentia *necessaria* in Idea Dei continetur; ergo potest necessaria Existentia cum veritate de Deo affirmari: Non necessaria Existentia præsupponitur, sed infertur, ac proinde falsum est, quod in rei alicujus Idea continetur, id posse verè de illa affirmari, *præsupposito quod existat.*

XII. *Existentia necessaria non potest materiæ competere.*

SIMILITER non legitimè concludit præclarus Theologus, dum ait: *Atque adeò si rei cuilibet quodvis Attributum, quod existentiæ notionem aut exprimit, aut includit adjunxeris, idem de eadem parì jure concluseris: uti si ipsi materiæ Attributum, Necessaria, aut à se existens, aut summè perfecta adjungas, an non statim sequitur ipsam materiam existere?* Si illi respondeatur, ad *Materiæ* Ideam existendi necessitatem, aut necessariam existentiam non pertinere. Urget illico Vir Clarissimus: *An*

An verò non ad materiæ necessariò existentis Ideam? ut enim in summam perfectionem Nimiùm, ita nos existendi necessitatem Materiæ Attributam efficimus, quod cum sit, eadem qua ex via ad conclusionem ducit. Advertendum est cum Philosopho in Responsione ad primas Objectiones; illas Ideas, quæ non continent veras & immutabiles naturas, sed tantùm *fictitias*, & ab Intellectu compositas, ab eodem Intellectu non per abstractionem tantùm, sed per claram & distinctam operationem dividi posse, adeò ut illa, quæ sic Intellectus dividere non potest, proculdubio ab ipso non fuerint composita. Ut, exempli causa, dum cogito *Equum alatum*, vel *Materiam* actu existentem, vel *Triangulum* Quadrato inscriptum, facilè intelligo me etiam ex adverso posse cogitare *Equum* sine alis, *Materiam* non existentem, *Triangulum* sine quadrato, & talia, nec proinde illa veras & immutabiles habere naturas.

XIII. *Existentia possibilis tantum ad Corporis naturam spectat.*

Si verò cogito *Triangulum*, vel *Quadratum*, tunc certè quæcumque in Idea Trianguli contineri deprehendam, ut quòd ejus tres Anguli sint æquales duobus rectis, &c. de *Triangulo* cum veritate affirmabo, & de *Quadrato* quæcumque in Idea Quadrati reperiam; etsi enim possim intelligere Triangulum abstrahendo ab eo, quòd ejus tres Anguli æquales sint duobus rectis, non possum tamen de eo id negare, per claram & distinctam operationem, hoc est, rectè intelligendo hoc quod dico. At si in Idea *Corporis* summè perfecti Existentiam contineri considerem, concludere non possum Corpus illud summè perfectum existere, sed tantummodò existere posse. Satis enim animadverto

madverto Ideam istam ab ipsomet meo Intellectu omnes corporeas perfectiones simul jungente fuisse confictam, existentiamque ex aliis *corporeis* perfectionibus non exurgere, quia de illis æquè potest negari atque affirmari. Quinimo ex eo quòd ideam *Corporis* examinando, nullam in eo vim esse percipio, per quam seipsum producat, sive conservet, rectè concludo Existentiam *necessariam*, de qua sola hîc quæstio est, non magis ad Corporis, quantumvis perfecti naturam pertinere, quàm ad Montis naturam pertinet, ut Vallem non habeat; vel ad naturam Trianguli, ut Angulos non habeat duobus rectis majores.

XIV. *Deus concipi non potest nisi ut existens.*

Nunc autem si quæramus non de *Materiâ* sive Corpore, sed de Re, qualiscumque tandem illa sit, quæ eas omnes perfectiones habeat, quæ simul esse possunt, an *Existentia* inter illas sit numeranda. Prima quidem fronte dubitabimus; quia cùm Mens nostra, quæ Finita est, non soleat illas nisi separatas considerare, non statim fortasse advertet quàm necessariò inter se conjunctæ sunt. Atqui si attentè examinemus an *Enti* summè potenti competat Existentia, & qualis, poterimus clarè & distinctè percipere primò illi saltem *possibilem* Existentiam competere, quemadmodum reliquis omnibus aliis Rebus, quarum distincta idea in nobis est, etiam iis, quæ per Intellectus figmentum componuntur. Deinde quia cogitare non possumus ejus Existentiam esse possibilem, quin simul etiam ad immensum ejus potentiam attendentes agnoscamus illud propria sua vi posse existere, hinc concludemus ipsum

sum revera existere, atque ab æterno extitisse: est enim lumine naturali notissimum, *id*, quod propria sua vi potest existere, semper existere. Atque ita intelligemus Existentiam *Necessariam* in Idea Entis summè potentis contineri, non per Intellectus figmentum; sed quia pertinet ad veram & immutabilem naturam talis Entis, ut existat: Necnon etiam facilè percipiemus illud Ens summè potens, non posse non habere in se omnes alias *Perfectiones*, quæ in Dei Idea continentur, adeò ut illæ absque ullo Intellectus figmento, & ex natura sua simul junctæ sint, atque in Deo existant.

XV.

Athei rerum ignari apparent, dum existentiam necessariam materiæ tribuunt.

NIHIL in Viri Clarissimi rem facit, quod Athei soli materiæ, cùm existendi necessitatem, tùm summam, quæ esse potest, perfectionem tribuendam esse arbitrantur. *Neque enim*, inquit, *naturalem aliam rei cujusvis perfectionem cogitari posse intelligunt, præter solidam ipsius substantiæ molem, & si quas alias esse putamus, facilitias esse omnes inquiunt, quæ Materiæ motu, situ, & ordine oriuntur & occidunt.* Si *Athei* Entis summi nomen, prout omnem perfectionem significat, ad Ens Corporeum transferant, ut sensus sit, *Materiam* ens esse, in quo omnes perfectiones reperiuntur, se ejus naturæ rudes ac ignaros esse ostendunt: quoniam ipsa Materiæ Compositio multas imperfectiones involvit; Ut quòd Corpus in partes divisibile sit; quòd unaquæque pars ejus ab alia distinguatur; quòd Materia ex partibus integrantibus constituatur: Et similes, quæ summæ, quæ esse potest, perfectioni tribui non possunt; cùm per se notum sit, majorem

per-

perfectionem esse non dividi, quam dividi, Ens simplex esse, quam compositum, &c.

XVI. *Quod aliqui Cartesii rationibus non convincantur, id provenit quòd ad earum seriem non sedulò attendant.*

Non obest, quod nonnulli *Cartesii* Rationibus non penitus convincantur; imo illum argumentum ad Dei Existentiam probandam, pro Sophismate accipiant, quemadmodum insinuat Vir Clarissimus; *Denique tametsi quædam fuisset in Argumento subtilitas & acumen, nemo tamen est, quin etiamsi nodum solvere non poterat, se illaqueatum potius & fraude captum, quam ratione victum suspicaretur.* At, unde id oritur? Non Argumenti vitio, aut imbecillitate, cùm reverà si probandi modus spectetur, ad *Mathematici* vim accedat, etsi qui ejus subtilitate illaqueatos se experiantur, id provenit, quod nimia claritate, mentis oculos, tanta luce nondum assuetos perstringat, qui antea non nisi Rerum *Sensibilium* exemplis illustrati, consuetudine & Regulis minùs rectis malè ducebantur. Unde Philosophus tales in *Præfatiuncula* ad suas Meditationes, admonet, si aliquem fructum ex earum lectione consequi volunt, ut Mentem à Rerum Corporearum contubernio immunem tueantur, & ad Rationum vim ac nexum sedulò attendant. Quinetiam nullis Author sum, inquit, ut hæc legant, nisi tantùm iis, qui seriò, mecum meditari, Mentemque à Sensibus, simulque ab omnibus præjudiciis abducere poterunt, ac volent, quales non nisi admodum *paucos* reperiri satis scio. Quantum autem ad illos, qui Rationum mearum seriem & nexum comprehendere non curantes, in singulas tantùm Clausulas, ut multis in more est, argutari studebunt, non magnum ex hujus Scripti lectione, fructum sunt percepturi

cepturi : Et quamvis fortè in multis civi-
landi occasionem inveniant, non facilè tamen
aliquid, quod urgeat aut Responsione dignum
sit, objicient.

FINIS.

Scripta Latina Antonii Le Grand apud J. Martyn venalia.

INstitutio Philoſophiæ ſecundum Principia D. Renati Deſ-Cartes nova methodo adornata & explicata. In uſum Juventutis Academicæ.

Hiſtoria Naturæ, variis Experimentis & ratiociniis elucidata: ſecundum Principia ſtabilita in Inſtitutione Philoſophiæ edita ab eodem Authore.

Diſſertatio de Carentia Senſus & Cognitionis in Brutis.

Scydromedia ſeu Sermo quem Alphonſus de la Vida habuit coram Comite de Falmouth, de Monarchiâ.